

INSTITUTIONES
PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

AD MENTEM DIVI THOMÆ AC SUAREZII,

AUCTORE

P. JOSEPHO MENDIVE,

SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

ONTOLOGIA.

~~~~~  
SUPERIORUM FACULTATE.  
~~~~~



VALLISOLETI:
EX TYPOGRAPHIA VIDUÆ DE CUESTA ET FIL.

MDCCCLXXXVI.



NOTIONES QUÆDAM PRÆVIÆ.


1.—Ontologia, si vocis etymon spectes, idem sonat ac *Tractatus de Ente*: si autem realem ejus definitionem quæras, est illa *Philosophiæ pars, quæ res sub altissimis et abstractissimis rationibus considerat*. Ideo autem hoc nomine compellatur, quia circa *Ens in genere*, omnesque ejus causas ac modos seu *categorías* abstractissima sua consideratione versatur.

2.—Porro rationes ontologicæ propter maximam suam universalitatem ad objecta omnium omnino scientiarum sese extendunt: unde summe utilis ad illas excolendas dici debet. Ontologia enim notiones *entis, unitatis, veritatis, bonitatis, ordinis, perfectionis, pulchritudinis, numeri, identitatis, distinctionis, substantiæ, accidentis*, aliasque his similes examinat ac diligenter explicat; atque ex illis principia universalissima derivat, quæ omnibus scientiis fundamento sunt, cujuscumque eæ generis existant.

3.—Hinc autem patet quam longe a veritate aberrant *Positivistæ* atque *Empirici* omnes, qui studium Ontologiæ ut rem inanem et mere otiosam reputant: quasi vero scientiæ experimentales, quæ illis in deluviis sunt, sine ideis ontologicis ac metaphysicis excoli cum fructu possent. Experientia enim sola nonnisi factorum quorundam notitiam nobis præbere potest, quæ toto cœlo distat a veri nominis scientia (L. 511-513).

4.—Aliqui huic Philosophiæ parti *Ideologiæ* nomen dedere; quod ideas seu conceptus nostros generalissimos et circa nullum objectum particulare versantes consideret. Rectius tamen Ontologia cum præstantioribus philosophis vocanda est; cum non proprie conceptus sed objecta ipsa per conceptus expressa ad illius provinciam spectent. Præter quam quod Ideologia conceptus nostros, non ex ea solum parte qua objecta quædam respiciunt, considerare debet, sed ex ea etiam qua illorum subjectum et causam spectant: quod sane non Metaphysicæ generalis seu Ontologiæ, sed Metaphysicæ specialis proprium est.

5.—Ontologia in tres a nobis partes dividetur: quarum prima intimam Entis naturam ac proprietates complectetur, secunda vero circa diversas entium classes versabitur, tertia denique in explicandis illius causis tota consistet.





ONTOLOGIÆ PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De Entis natura.

6.—Ens vere ac proprie definiri nequit; tum quia ejus notio simplicissima est et in plures conceptus irresolubilis; tum etiam quia sub nulla re altiore tamquam species sub genere continetur. Describi tamen aliquo modo potest; et hanc descriptionem, qua illud ab omni alio objecto separemus, sequentibus articulis perficiemus.

ARTICULUS I.

De diversis vocabuli «entis» acceptionibus.

7.—Vocabulum *ens* originem suam desumit a verbo *Sum*, quod absolute sumptum significat *existere*. Hinc juxta aliquos *formaliter* significat *existentiam* alicujus rei, *materialiter* vero ipsam rem quæ habet esse seu existentiam.

8.—Juxta hanc vero opinionem ens non posset quidditative seu essentialiter prædicari de rebus

creatis; quod falsissimum est. Nam de omni homine tam possibili quam existente asserimus, non modo ipsum esse *substantiam* et *vivens quid* et *animal*, sed etiam esse reale *ens*; cum tamen homo possibilis actualem existentiam non habeat, et sola ejus essentialia in ratione sua objectiva exprimat. Idcirco ad quæstionem *quid est homo* respondetur, non solum quod sit *substantia*, sed etiam quod sit *ens*.

9.—Dicendum est ergo cum Suarezio (1), ens dupliciter sumi posse; *participialiter* scilicet et *nominaliter*. Primo modo est participium verbi *Sum* et formaliter significat existentiam alicujus rei; ut cum dicimus: *Petrus est seu existit*. Secundo autem est nomen quoddam, et conceptu suo formali exprimit quidditatem seu essentiam quandam aptam ad existendum, sive de facto existat, sive non.

10.—Ens quod constituit proprium objectum Ontologiæ, non participialiter sed nominaliter sumi debet: tum quia participialiter sumptum indicat existentiam rerum actualem et non mere possibilem, a qua Ontologia præscindit; tum etiam quia solum nominaliter acceptum in decem prædicamenta seu categorias dividitur, de quibus Ontologia tractat. Hinc D. Thomas in Quodlibeti 2^{di} art 3.^o, postquam egerat de Ente actuali seu participialiter accepto, hæc immediate subdidit: «Sed verum est quod hoc nomen *ens* secundum quod importat rem, cui competit hujusmodi esse, sic significat essentiam rei et dividitur per decem genera.»

11.—Quamvis autem Ens, prout est objectum Ontologiæ et in tota sua latitudine sumitur, directe significet *rem* seu *quidditatem quandam*; indirecte tamen simul significat *existentiam ut possibilem*; quia res quælibet in tantum est talis, in quantum habet aptitudinem ad *existendum*. Hinc Ens concipimus ut *concretum quoddam constans ex essentia et existentia*; at-

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 2, sect. 4.

que idcirco ad explanandum illius conceptum debemus explicare quid sit *res* seu *essentia* et quid *esse* seu *existentia*; quod sequenti articulo perficiemus.

ARTICULUS II.

De essentia et existentia.

Ut res debito cum ordine procedant, notiones tum *essentiæ*, tum *existentiæ* distinctis paragraphis evolvemus.

§ I. QUID ET QUOTUPLEX SIT ESSENTIA.

12.—Notionem *essentiæ* non aliter explanare possumus, quam illam referendo, sive ad res alias quæ in entibus inveniuntur, sive ad conceptus nostros quos circa illas efformamus. Primo modo *essentia* dicitur *id per quod res est id quod est*, atque etiam *prima radix omnium proprietatum ad ens aliquod pertinentium*. Sic *animalitas* et *rationalitas* constituunt *hominis* *essentiam*; quia per illas homo est homo et non aliud, atque ex illis manant omnes *hominis* proprietates.

13.—Hac de causa *essentia* dicitur esse illud quod, est *nobilius* atque *excellenti* in ente; quia ex illa cetera omnia promanare cernuntur. Dicitur etiam esse illud, quod *primum* concipimus in rebus: hoc autem indicat *prioritatem* non quidem *temporis* sed *dignitatis*. Ad conceptum namque *essentiæ* in unaquaque re non ascendimus nisi per considerationem proprietatum ab illa manantium; ac proinde, *chronologice* loquendo, prius concipimus emanationes alicujus *essentiæ* quam *essentiam* ipsam.

14.—Secundo modo considerata *essentia*, seu prout ad nostros conceptus refertur, est *illud quod definire aut explicare intendimus, quando volumus declarare quid sit aliqua res*. Quando enim volumus scire v. gr. quænam sit *hominis* *essentia*, interrogamus: *Quid est homo*. Quando vero, non *essentiam* sed proprietates ab illa manantes quæ-

rimus, dicimus: *Qualis est hic homo?* Ipsas tamen qualitates ab essentia promanantes considerare possumus ut *quasdam essentias*, interrogando *quid sint*. Sed tunc ut entia quædam absoluta eas nobis repræsentamus, et non ut entis alicujus proprietates (1).

15.—Essentia entis vocari etiam solet *natura*, quatenus ex se apta est et inclinationem habet ad operandum. Qualitates autem, si *necessario* manant ab essentia, dicuntur *attributa*; si vero contingenter, nomen accipiunt *accidentium*. Denique elementa constituentia essentiam alicujus entis appellantur *proprietates illius essentielles*; attributa vero *proprietates necessariae*; et accidentia *proprietates accidentales*.

16.—Natura vel essentia alicujus entis potest et *physice* et *metaphysice* considerari: unde essentia dividitur in *physicam* et *metaphysicam*. Prima dicitur *illa, quæ existit aut existere potest in rebus independenter a cogitatione nostra, prout talis essentia est*: ut ex gr. *natura humana Petri*. Secunda vero est *ipsa natura physica, quatenus abstractivè a nobis cogitata et operatione definitionis essentialis in duos conceptus divisa, quarum alter sit genus et alter differentia*, v. gr. *animalitas et rationalitas hominis* (L. 114).

17.—Exinde manifestissime patet essentias rerum metaphysicas non esse puras fictiones intellectus nostri sed objecta vera et realia, existentia in mundo reali, quamvis non cum illa abstractione qua existunt in intellectu. Nam quamvis *humanitas Petri* v. gr. non sit in Petro præcisa et distincta a Petro, sed realiter cum illo identificata; sed tamen intellectus meus potest humanitatem hanc logice præscindere ab omnibus circumstantiis particularibus, quibus individuatur in Petro, et sic eam conceptu quodam generali et abstractivo absque ulla fictione apprehendere. *Abstrahentium enim non est mendacium*, ut recte iniquiunt Philosophi, sicut neque ulla fictio. Unde omnino

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 2. sect 4. n. 6.

rejicienda est sententia Löckii, dicentis essentias metaphysicas esse puras mentis fictiones et res pure arbitrarias a Philosophis excogitatas.

§ II. QUÆNAM SINT PROPRIETATES ESSENTIARUM.

Nunc de proprietatibus essentiarum aliqua dicere oportet: quæ, ut melius intelligantur, sequentibus propositionibus explanabuntur.

PROPOSITIO PRIMA.

Essentiæ physicæ hujus mundi adspectabilis sunt mutabiles, divisibiles, contingentes et temporales.

18.—*Demonst.*—1.º *Sunt mutabiles*: siquidem ex diversis elementis constant ad invicem unitis, quæ dissociari queunt. Sic, *natura humana* corpore et anima constituitur inter se unitis, quorum separatione ipsa dissolvitur. 2.º *Sunt divisibiles*: propter rationem dictam. 3.º *Sunt contingentes*: nam nulla illarum necessario existit, sed omnes libere creatæ sunt a Deo et per actionem agentium externorum destrui queunt. 4.º *Sunt temporales*: nam, propter continuas mutationes quas patiuntur, tempori subjectæ existunt. Sic in *homine* v. gr. corporis materia quotidie renovatur propter fluxum continuum molecularum illud constituentium: quo fit ut natura ejus physica temporalibus mutationibus subjaceat, cum physica hominis natura partialiter ex corpore constet, quod non semper idem numero perseverat. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

*Essentiæ metaphysicæ hujus mundi adspectabilis
sunt immutabiles, indivisibiles, necessariæ et æternæ.*

19.—*Demonst.*—Essentiæ metaphysicæ per abstractionem mentis sunt præcisæ ab omni materia individuali et concreta, in qua sola inveniuntur mutationes et transformationes essentiarum physicarum propriæ. Ergo per abstractionem hanc exhibentur nobis ut quid ideale, immutabile, indivisibile et æternum. Sic *natura humana* ex. gr. hoc modo abstracto considerata in omnibus individuís humani generis semper eadem immobiliter et indivisibiliter perseverat, necessario est id quod est et non aliud, et ante omne quodcumque tempus est talis natura. Ergo... Idcirco optime notavit Aristoteles essentias has esse *sicut numeros*; quia singuli numeri sunt semper et necessario tales et non alii.

PROPOSITIO TERTIA.

*Immutabilitas, indivisibilitas, necessitas
et æternitas essentiarum metaphysicarum longe diversæ
sunt ab immutabilitate, indivisibilitate, necessitate
et æternitate Essentiæ divinæ.*

20.—*Demonst.*—Essentiæ metaphysicæ rerum creaturarum non exprimunt nisi quid *hypothetice* immutabile, indivisibile et necessarium ac *negative* æternum. Nam, cum asserimus v. gr. *hominem* esse immutabiliter, indivisibiliter, necessario et semper *animal rationale*, non volumus dicere ab æterno et immutabiliter extitisse aliquod animal hujusmodi physicum in

sua propria natura; sed hanc solam conditionalem veritatem exprimere intendimus: *Si aliquis homo realis et physicus existat in mundo, hic necessario erit animal rationale*. Unde essentiae hujusmodi non sunt nisi *negative* aeternae; quatenus scilicet praescindunt a tempore, et ante quodlibet tempus datur verum fundamentum a parte rei, ut possint circa illas enuntiari iudicia conditionalia generis praedicti. E contra Essentia divina exprimit quid *absolute* immutabile, indivisibile et necessarium ac *positive* aeternum. Atqui haec duo toto coelo distant inter se, ut manifeste patet. Ergo... (1).

PROPOSITIO QUARTA.

Essentiae rerum finitarum continentur eminenter in Essentia divina, ut actus imperfecti in actu perfecto.

21.—*Demonst.*—1.^o *Continentur in Essentia divina:* tum quia omne conditionale et relativum debet contineri in absoluto tamquam in suo fundamento (2); tum etiam quia Essentia divina, utpote absolute prima, debet esse fons et fundamentum omnium aliarum essentiarum, ac proinde debet illas aliquo modo in se continere. 2.^o *Continentur eminenter* seu modo quodam altiori et simpliciori quam sunt in se ipsis, et sine limibus illarum propriis: tum quia in Essentia divina formaliter contineri nequeunt, quia alias Deus foret vere ac realiter corpus, planta, animal, homo, angelus, quod est absurdissimum; tum quia effectus finiti non continentur formaliter in causa in-

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 31, sect. 12. n. 45.

(2) Cfr. Balmes, *Filosofia fundamental*, lib. 4, cc. 25-27.

finita sed virtualiter et eminenter. 3.^o *Continentur tamquam actus imperfecti in perfecto*: nam in Deo sunt modo quodam excellentissimo perfectiones omnes creaturarum, tam singularum proprias quam omnibus communes. «Et sic comparatur Dei essentia ad omnes rerum essentias, non sicut commune ad propria, ut unitas ad numeros vel centrum ad lineas, sed sicut perfectus actus ad imperfectos: ut si dicerem: homo ad animal: vel senarius, qui est numerus perfectus, ad imperfectos sub ipso contentos (1).» Ergo...

PROPOSITIO QUINTA.

Non omnes essentiae sunt nobis imperviae.

Est contra Lockium, qui contrarium asseruit.

22.—*Demonst.*—1.^o Essentiae rerum artificialium optime cognoscuntur ab artificibus ipsarum. Sic ex. gr. *horologiorum artifex* optime scit in quo consistat essentia horologii. 2.^o Multas etiam essentias rerum naturalium, quamvis imperfecte, novimus; quoniam circa illas interrogati possumus declarare quid sint, tradendo illarum definitiones, ut cum dicimus: *Homo est animal rationale*. Ergo...

23.—Dixi *quamvis imperfecte*: essentias enim rerum naturalium non cognoscimus immediate in se ipsis sed in suis manifestationibus externis: quod est genus quoddam cognitionis imperfectae. Sic *hominem* definimus *animal rationale* seu *ens sentiendi et ratiocinandi capax* per ordinem ad suos actus proprios et peculiare, quin intuitive videamus quid sit in se hoc principium activum, a quo sensationes et ratiocinationes procedunt.

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 14. art. 6.

§ III. QUÆNAM SIT NATURA EXISTENTIÆ.

24.—Notio existentiae est clarissima inter omnes quas habere possumus. Ipsa enim essentia eatenus a nobis percipitur ut realis et non ficta, quatenus eam apprehendimus ut aptam ad *existendum*. Unde vocabulum *ens* prius applicatum est ad significandam *existentiam*, deinde vero extensum fuit ad exprimendam essentiam aptam ad existendum.

25.—Ex hac summa existentiae claritate sequitur, non posse eam a nobis definiri: siquidem definitio hac in re non potest esse clarior re definita. In creaturis tamen eam concipimus ut *quandam actuationem essentiae*, atque essentiam ut *quid actuabile per existentiam*.

26.—Exinde vero enascitur quaestio circa naturam hujus actuationis. Nam aliqui philosophi opinantur essentiam physicam et existentiam esse in creaturis duas res realiter distincta: alii e contra putant illas non nisi ratione ad invicem differre. Prima sententia tribuitur a multis Divo Thomae; sed immerito, ut nobis videtur. Secundam tenent Suarez et cum eo alii quamplurimi (1), quorum rationes meo quidem iudicio rem demonstrant. Sit ergo sequens

PROPOSITIO.

Essentia realis et physica creaturarum non distinguitur realiter ab ejus existentia.

27.—*Prænot.* 1.—Intelligimus nomine essentiae realis et physicae illam naturam realiter creatam ac de facto positam extra suas causas, qualis est v. gr.

(1) Inter hos numerandi sunt Alexander Alensis, Aureolus, Durandus, Gabriel, Hervæus, Gregorius Arimin., Scotistæ, Palacios, Toletus, Valentia, Vazquez, et alii gravissimi philosophi ac theologi. Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 31, sect. 1, n. 12.

humanitas Petri: et naturam hanc physicam dicimus non distingui realiter a sua existentia. Per hoc autem non negamus dari distinctionem rationis cum fundamento in re inter utrasque: quinimo hanc distinctionem libenter admittimus; tum quia existentiam creaturæ cujuslibet concipimus ut actuationem suæ essentiæ, tum etiam quia essentia creata physice existens ac existentia illi realiter identificata est de se *vera capacitas non existendi physice*; cum tota sua entitas physica sit ab alio, ac proinde sit ex se indifferens ad status puræ possibilitatis et existentiae realis.

28.—*Prænot. 2.*—Essentia realis, quæ in se est aliquid actu distinctum a sua causa, constituitur intrinsece aliquo esse reali et actuali: nam omnis entitas realis constituitur aliquo esse reali; cum ens ab esse dicatur et ens reale ab esse reali. Hæc autem constitutio non fit per compositionem talis esse cum tali essentia, sed per identitatem omnimodam secundum rem: nam essentia actualis differt a se ipsa potentiali immediate per suam entitatem; ac proinde per illammet habet illud esse actuale, per quod intrinsece constituitur extra suas causas (Suarez, *Metaphys.*, disp. 31, sect. 4, nn. 2-3). In hoc adversarii nobiscum conveniunt: imo et propter hanc causam ponunt in unaquaque creatura physica et reali duplex esse realiter distinctum, esse nempe essentiæ et esse existentiae. Differentia ergo inter nos et ipsos in hoc consistit, quod nos negamus necessitatem hujus secundi esse a primo realiter distincti ad hoc ut creatura existat, illi vero hanc necessitatem affirmant.

29.—*Probatur thesis.*—Essentia realis et physica creaturarum non distinguitur realiter ab illarum existentia, si esse essentiæ in illis est verum esse existentiae. Si enim hoc accadat, unaquæque creatura

realis et physica denominabitur vere *existens* per esse suæ essentiæ physicæ: ac proinde illud alterum esse, quod ponunt adversarii, erit omnino superfluum; utpote non necessarium adtribuendum creaturæ denominationem existentis. Atqui esse essentiæ prædictum est verum esse existentiae. Ergo... *Prob. min.*

1.^o Hoc esse præcise sumptum satis est ad veritatem hujus locutionis de secundo adjacente: *Essentia est*: nam per illud formaliter ac præcise sumptum atque ab omni alia re abstractum essentia creata est ens in actu et distinguitur ab ente in potentia. Ergo est verum esse existentiae: nam, juxta communem hominum conceptionem, *est* de secundo adjacente non absolvitur a tempore; sed significat rem de qua prædicatur actu esse in rerum natura; quod omnes intelligimus nomine *existentiæ*. Ergo... 2.^o Esse essentiæ prædicto conveniunt omnia, quæ tribui solent existentiae, ac propter quæ adversarii ponunt realem distinctionem inter illud et esse existentiae. Est enim *temporale* et non æternum, utpote vere productum ex nihilo sui: est præterea *contingens*, utpote a libera Dei voluntate causatum: est denique *mutabile* et omnibus conditionibus existentiae creatæ subjectum, utpote res vere producta et a Dei voluntate dependens. Ergo est verum esse existentiae. 3.^o Esse existentiae in creaturis nihil aliud est quam illud esse, quo formaliter et immediate entitas aliqua constituitur extra suas causas desinens esse nihil ac incipiens esse aliquid: tum quia hoc est quod omnes intelligunt nomine existentiae; tum quia inter ens in potentia seu pure possibile et ens in actu seu actuale nullum datur medium, ac proinde creatura non abstrahitur a statu puræ possibilitatis ad statum existentiae nisi per esse existentiae suæ; tum denique, quia hoc esse, se solo et præcisione facta alterius rei cujusque, est

sufficiens ad distinguendam entitatem actualem a possibili, ac proinde ad constituendam illam inter res vere creatas et extra suam causam positas. Atqui esse per quod formaliter constituitur creatura extra suas causas, est esse essentialis suae physicae: quia per illud formaliter est aliquid reale et actuale, ac realiter distinguitur a mere possibili (1). Ergo...

Solvuntur difficultates.

30.—Obj. I. Existencia dicit actum: atqui inter actum et nihil mediat potentia subjectiva, seu subjectum idoneum ad recipiendum actum sibi consentaneum. Ergo quamvis essentia physica sit quid reale et distinctum a nihilo; non ideo tamen identificabitur cum sua existencia, sed poterit esse verum ac reale subjectum physicum ejusdem.

Resp.—*Dist. maj.*—Existencia dicit actum *primum*, Conc. actum *quemlibet*, Neg. Deinde *contradist. min.* Inter actum *aliquem*, *secundum nempe*, et nihil mediat potentia subjectiva, seu subjectum idoneum ad illum recipiendum, Conc.: inter actum *primum* et nihil, Neg. Inter actum secundum, qualia sunt omnia accidentia supponentia subjectum jam constitutum in suo esse, et nihil mediat certe hoc subjectum. Sed inter actum primum, qui est esse rei, et nihil nulla potentia subjectiva mediare potest: quia omnis potentia physica se ipsa formaliter est quid reale extra suas causas positum, ac proinde contradistinctum a nihilo et verum ens actuale. Essentia physica rerum creaturarum est quidem vera potentia existendi, in quantum in sua propria notione formali involvit ca-

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* loc. cit., sect. 4 et 6.

pacitatem transeundi ad statum possibilitatis et permanendi in statu actualitatis; sed non est potentia receptiva existentiae realiter distinctae a semetipsa.

Inst. 1.^o—Materia prima est potentia physica receptiva primi esse. Ergo idem dici poterit de essentia cujuslibet creaturæ.

Resp.—*Dist. ant.*—Materia prima est potentia receptiva primi esse *completi*, Conc.: primi esse *incompleti*, Neg. Et sub distinctione data *negō consequentiam*. Materia prima est veluti dimidium ens; ac proinde se sola non habet nisi veluti dimidiam existentiam seu existentiam incompletam, quæ compleri debet per existentiam partialem formæ. Sed essentia cujuslibet creaturæ est ens completum, atque idcirco ex se sola dicit actum primum seu actum existendi completum.

Inst. 2.^o—Quod non continetur in conceptu adæquato alicujus rei, realiter ab illa distinguitur. Sed existentia non continetur in conceptu adæquato essentiae physicae rei creatæ. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.* Quod non continetur in conceptu adæquato alicujus rei *eam sub omnibus suis formalitatibus repræsentante*, realiter ab illa distinguitur, Conc.: quod non continetur in conceptu adæquato alicujus rei *sub una tantum ex suis formalitatibus eam exhibente*, realiter ab illa distinguitur, Neg. Deinde *contradist. min.*: Existentia non continetur in conceptu adæquato essentiae physicae rei creatæ *sub una tantum ex suis formalitatibus eam repræsentante*, Conc.: *sub omnibus formalitatibus suis eam exhibente*. Neg. Essentia physica rei creatæ *sub formalitate essentiae præcise* ratione distinguitur ab eadem essentia *sub formalitate existentiae* repræsentata; quoniam inter eas distinctio rationis ratiocinatae intercedit, ut supra notatum est (27). Proinde in conceptu, etiam adæ-

quato, rei creatæ sub formalitate præcisa essentiæ non potest contineri existentia. Sed exinde minime sequitur realis distinctio inter eas; sicut ex eo quod in conceptu formali naturæ Petri sub ratione præcisa naturæ non contineatur ejus individualitas, minime inferre licet individualitatem et naturam Petri realiter ab invicem differre.

Inst. 3.^o—In omni creatura invenitur realis compositio substantiæ et accidentis. Atqui in sententia a nobis propugnata inexplicabilis prorsus foret hujusmodi compositio. Nam: a) Accidens non potest componi cum substantia habendo unum esse cum ipsa; cum esse substantiæ sit substantiale, esse vero accidentis accidentale. b) Nec potest componi, quatenus esse accidentis diversum sit ab esse substantiæ illud tamen actuet et informet; quia esse substantiæ in se est actus, ac proinde non potest habere rationem *potentiæ actuabilis*. c) Denique, nec potest componi, quatenus utrumque esse realiter inter se distinctum recipiatur in essentia; quia sic essentia realiter distingueretur non minus ab esse substantiali quam ab accidentali. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.* Ad prob. *dist. ultimam partem*: Quatenus utrumque *physice et realiter* recipiantur in essentia, *Conc.*: *quatenus unum quidem recipiatur physice in essentia, alterum vero logice*, *Neg.* In nostra sententia utrumque esse, et substantiale et accidentale, recipitur in essentia rei creatæ: esse autem substantiale non recipitur nisi logice; quia a nobis concipitur ut ejus actuatio, vere tamen et realiter ab ea non distinguitur. Nulla autem difficultas est in eo quod res creata sub ratione essentiæ recipiat suas actiones modo unicuique illarum consentaneo. Difficultas ergo ab adversario posita nullius prorsus valoris est.

Inst. 4.^o.—Si compositio ex esse et essentia non physica sed metaphysica tantum ponatur in creaturis, idem dicendum erit de alia quavis; nam non est major ratio pro una quam pro altera. Ergo.....

Resp.—*Neg. assert. cum ejus probatione.* Nam pro compositione metaphysica ex esse et essentia in creaturis stant rationes in probatione theseos adductæ, quæ nullam vim habent pro ceteris compositionibus.

Inst. 5.^o.—Compositio ex esse et essentia est fundamentum ceterarum compositionum in creaturis. Ergo si eæ sunt physicæ, et illa pariter esse debet.

Resp.—*Dist. ant.* Est fundamentum *aliquod*, Trans.: *primarium*, Neg. Fundamentum primarium compositionum omnium creaturis convenientium est earum *abalietas*. Sicut enim ab alio essentialiter dependent in sua creatione et conservatione, ita et in earum completionem ac perfectionem. Nec vero cuiquam mirum videri debet, si compositio ex esse et essentia sit tantum metaphysica, ceteræ vero physicæ. Nam, ut optime notat Cardinalis Toletus (1), in principiis semper est minor distinctio quam in principiatis; ac proinde distinctio inter existentiam et essentiam in creaturis minor esse debet quam distinctio inter substantiam et accidens ex ea procedens.

31.—Obj. II. Si in creaturis non distingueretur realiter existentia ab essentia physica, esse creaturarum esset irreceptum. Atqui hoc dici nequit: quia esse irreceptum est infinite perfectum et verus Deus. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.* In prædicta hypotesi esse creaturarum esset irreceptum *in aliquo subjecto realiter a se distincto*, Conc.: esset irreceptum *omni modo, seu a se*

(1) Toletus, in 1.^{am} p. *Summ. Theol.* D. Thom., q. 54, art. 3.

existens et non ab alio, Neg. Deinde, *contradist. rationem minoris*: *Esse omnino irreceptum* est infinite perfectum, Con.: *esse irreceptum quidem in alio sed receptum in semetipso*, Neg. *Esse creaturarum* est quid formaliter receptum in se ipso; sicut *essentia physica illarum* est etiam quid receptum eodem modo. Hoc autem facit ut *esse creaturarum* non sit actus purus sicut Deus, sed actus mixtus potentialitate; siquidem tota earum entitas est formaliter de se indifferens ad permanendum vel non permanendum in illo statu physico et non mere possibili a Deo accepto.

32.—Obj. III. In sententia nostra *existentia creaturarum* esset ipsis *essentialis*, utpote realiter identificata cum earum *essentia*, quæ est eis *essentialis*. Ergo *creaturæ forent necessario æternæ et a se sicut Deus*, quod repugnat.

Resp.—*Dist. anteced.* In sententia nostra *existentia creaturarum* esset eis *physice essentialis* sicut ipsa *essentia*, Con.: esset *metaphysice essentialis*, Neg. Hinc *sub data distinctione nego consequentiam*. *Physice essentialiale* dicitur illud, quod constituit *essentiam physicam*: *metaphysice essentialiale* est id, sine quo res aliqua nec esse nec concipi potest. Jam vero in sententia nostra optime concipere possumus omnes creaturas sine *existentia reali et physica*; siquidem *tota earum entitas* est de se indifferens ad status puræ possibilitatis vel actualitatis realis. Ergo in nostra sententia non est *metaphysice essentialiale* creaturis actualiter esse, sicut nec habere *essentiam extra statum puræ possibilitatis*: sed hoc soli *Essentiæ divinæ* relinquitur, de cujus *notione* est *existentia realis et physica*.

33.—Obj. IV. *Doctrinæ huic adversatur S. Thomas*. Nam in variis locis suorum operum scribit, in omnibus prorsus creaturis esse seu existere esse aliud

ab essentia; ac proinde omnem creaturam, quantumvis simplicissimam, esse compositam ex essentia et existentia. Ergo doctrina hæc derelinquenda.

Resp. 1.^o—*Neg. anteced.* Nam in omnibus his locis Sanctus Thomas hoc tantum probare intendit, existentiam actualem et physicam non esse *de notione* ullius creaturæ; ac proinde omnem creaturam esse *metaphysice* compositam ex essentia et existentia atque idcirco a simplicitate divina longe distare. Porro hanc et non aliam esse mentem Doctoris Angelici, facile ostendi posset percurrendo singula loca, eaque explicando ex contextu: sed natura hujus operis hoc studii genus non sinit, et ideo ab illis percurrendis abstinebimus. Adeat lector, si cupit, dissertationem de hac materia nuperrime scriptam a P. Limbourg (1) et opus phylosophium P. Harper (2). Qui verba Aquinatis ad suam de distinctione reali essentiæ et existentiae opinionem confirmandam detorquere conatur, næ sapientiæ hujus magni Doctoris non parvum nocumentum infert: argumenta enim illius hoc sensu intellecta nullius prorsus roboris sunt, et indigna tanto vivo censeri debent.

Resp. 2.^o—*Trans. ant. et neg. cons.* Non enim ea esset ex iis opinionibus, in quibus a Divo Thoma debita cum reverentia recedere non liceat, alios gravissimos auctores sequendo. Nec propter hanc causam incidemus in pantheismum, materialismum, et alios errores hujusmodi, ut nostri adversarii contendunt. Sine distinctione namque reali essentiam inter atque existentiam et sola distinctione virtuali inter eas ad-

(1) Limbourg, *De distinctione essentiæ ab existentia*, Ratisbonæ, Fr. Pustet, 1883.

(2) Harper, *The Metaphysics of the School*, vol. I. pags. 116-129, London, Macmillan, 1879.

missa, optime explicatur essentialis differentia, qua creaturæ omnes a divina simplicitate separatæ cernuntur.

Inst.—Sanctus Thomas varias res docet, quæ nullo modo componi queunt cum sententia negante distinctionem realem inter essentiam et existentiam creaturarum. Ergo... *Prob. ant.* Nam: 1.° Semper exhibet essentiam creaturarum tamquam potentiam non minus distinctam ab esse existendi, quam potentia operativa ab ejus operatione. 2.° Materiam primam dicit esse puram potentiam, cui absolute repugnat existere sine forma. Hoc vero sensu prorsus careret, si essentia idem in re esset atque existentia. 3.° Docet essentiam in corporibus compositam esse ex materia et forma, existentiam vero simplicem et unam. 4.° Ait formas subsistentes eatenus esse incorruptibiles, quatenus retinere in se possunt post separationem a materia existentiam quam illi communicant; esse vero corporis in tantum corruptibile dici, in quantum corpus per corruptionem deficit ab illo esse, quod erat sibi et animæ commune, quodque remanet in anima subsistente. Hoc autem minime scribere potuisset, si essentiam et existentiam creaturarum idem in re esse opinatus fuisset. 5.° Denique unionem hypostaticam humanitatis Christi explicat dicendo humanitatem hanc assumptam fuisse ad participationem existentiae Verbo divino propriæ, ita ut existat ipsa hac existentia divina et in Christo non sit nisi una existentia duabus naturis seu essentiis communis. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.* Ad *rat.* 1.^{am} *Dist.* Semper exhibet etc.; *et per hoc vult Sanctus Doctor significare inter essentiam et existentiam idem genus distinctionis proportionaliter existere atque inter potentiam et suam operationem, Conc.: eandem prorsus distinctionis spe-*

ciem, Neg. Distinctio virtualis proportionalitate quadam ad genus physicæ reducitur, cum vere existat in rebus ante omnem intellectus nostri cogitationem. Proinde bene ex distinctione virtuali inter essentiam et existentiam creaturarum infert S. Thomas distinctionem realem inter potentiam et operationem ipsarum.

Ad rat. 2.^{am} *Conc. maj. et neg. min.* Nam esse materiæ primæ cum ejus essentia identificatum incompletum prorsus est, cum materia sit velut dimidium ens. Proinde D. Thomas cogitare potuit illud ita in completum, ut non solum naturaliter, quemadmodum existimat Suarez, sed etiam absolute et essentialiter repugnet ut sit unquam separatum ab esse alicujus formæ illud complente.

Ad rat. 3.^{am} *Dist. assert.* S. Thomas docet existentiam in corporibus esse simplicem et unam, *quatenus una est in illis existentia completa coalescens ex duabus incompletis, et existentia hæc non potest naturaliter existere in plures divisa*, *Conc.: aliter*, Neg. Scilicet Sanctus Thomas tribuit huic existentie idem simplicitatis genus, quod agnoscit in animabus belluarum perfectarum, simplicitatem nempe indivisibilitatis.

Ad rat. 4.^{am} *Conc. maj. et neg. min.* Totum hoc quod dicit S. Thomas, sine ulla prorsus difficultate admitti potest a defensoribus nostræ sententiæ. Nam partes compositi substantialis suam cujusque perfectionem sibi mutuo communicant ratione unionis substantialis, ex qua resultat unum ens cum una existentia completa. Unde corpus animæ incorruptibilis eatenus dicitur corruptibile, quatenus amittere potest destructione unionis prædictæ communicationem existentie animæ propriæ; et hæc in tantum est incorruptibilis, in quantum conservare in se valet

post abruptionem unionis existentiam secum identificatam et corpori antea communicatam.

Ad rat. 5.^{am} *Dist assert.* S. Thomas dicit humanitatem Christi existere ipsa existentia Verbi, *intelligendo pro existentia existentiam suppositi, non vero naturæ, Conc.; intelligendo pro existentia ipsam existentiam humanitatis Christi, quasi humanitas hæc existentia sibi propria et secum identificata careret et solam existentiam Verbi haberet*, Neg. Ex unione hypostatica resultat in Christo unum ens personale et unum suppositum: proinde ratione illius humanitas Christi participat existentiam personalem Verbi, sed intrinseca sua existentia creata non destituitur.

ARTICULUS III.

De rerum possibilitate.

34.—Postquam Entis essentiam atque existentiam consideravimus, nunc ejus possibilitas declaranda est; quæ magnam cum illis connexionem habet, quæque omnibus prorsus entibus convenit; cum sine possibilitate nullum ens existere queat.

§ I. PRÆMITTUNTUR QUÆDAM NOTIONES AD POSSIBILITATEM RERUM SPECTANTES.

35.—Possibile dicitur *illud quod habet aptitudinem ad existendum*. Hoc sensu non modo res creatæ sed Deus etiam possibilis est; siquidem sine aptitudine ad existendum nulla res existere valet. Possibilitas autem Dei est mere logica: nam Deus in statu meræ possibilitatis esse nequit, sed vi essentiæ suæ est determinatus ad existendum atque idcirco necessario existit.

36. Non idem dicendum de possibilitate creaturarum: siquidem hæ natura sua indifferentes sunt ad existendum vel non existendum, atque ex hac sua indifferentia non nisi per liberam Dei voluntatem extrahuntur, earum existentiam vel non exi-

stentiam decernentis. Propter hanc causam vera et reali possibilitate constant, etiam dum existunt; quia etiam tunc non habent in se vim se conservandi in esse semel accepto: unde verissime dicuntur vera potentia seu possibilitate et existentia constare, ut vidimus in paragrapho ultimo articuli præcedentis.

37.—Quia res creatæ nonnisi per divinam omnipotentiam ex statu meræ possibilitatis ad statum existentiae adduci queunt, ideo earum possibilitas intime cum hac omnipotentia copulatur; ita ut nulla ex illis vere possibilis seu apta ad existendum dici valeat, quam Deus producere nequeat.

38.—Hinc duplex datur possibilitatis genus; *externa* scilicet et *interna*. Nam res omnis finita possibilis dicitur, tum respectu causæ extrinsecæ eam ad existentiam adducere valentis, tum etiam respectu sui ipsius nullam habentis repugnantiam ad existendum. Possibilitas ergo extrinseca definiri potest: *aptitudo rei ad existendum orta ex vi alicujus causæ valentis illam producere*. Possibilitas autem intrinseca est *aptitudo rei ad existendum orta ex ipsa ejus natura interna*.

39.—Utraque possibilitas intimo nexu inter se copulatur. Sine possibilitate enim rei interna haberi nequit objectum, circa quod versetur virtus ulla productrix; et sine virtute productrice interna rei possibilitas esset aptitudo ad recipiendum a nemine existentiam: quod quidem æquivalet aptitudini nulli. Non est tamen confundenda una cum altera, ut statim probabitur.

40.—Possibilitas intrinseca nullis limitibus circumscribitur: quidquid enim habet rationem entis realis ac veri, interna possibilitate gaudet. E contra possibilitas externa relativa est ad diversas causas, quarum respectu dicitur aliquid possibile. Aliqua enim fieri queunt ab una, quæ vim superant alterius in gradu inferiore constitutæ. Sola Dei potentia se extendit ad omnia intrinsece possible; cum nulla creatura adæquet totam latitudinem entis et hoc proprium sit Entis actualissimi et perfectissimi, seu Dei.

41.—Duplici possibilitati prædictæ duplex etiam impossibilitas respondet; *intrinseca* nempe et *extrinse-*

ca. Impossibile intrinsece dicitur *illud, cujus constitutiva intrinseca ad invicem pugnant et mutuo se evertunt*, v. gr. *circulus quadratus*. Impossibile vero extrinsece dicitur aliquid *respectu alicujus causæ non habentis in se vim sufficientem ad illud producendum*, v. gr. *volatus in homine*. Prima species impossibilitatis est *absoluta* et omnem prorsus potentiam respicit; unde nec Deus facere potest intrinsece impossibilia. Secunda vero est *relativa* ad illam tantum potentiam, cujus respectu res dicitur impossibilis: unde absolute possibilis dicenda est. Sic *volatus* ex. gr. est homini impossibilis; absolute autem non repugnat, quia *avis* volare potest.

42.—Impossibilitas alio etiam modo dividi potest in *metaphysicam, physicam* et *moralem*. Metaphysice impossibile dicitur *illud, quod pugnat cum essentiis rerum metaphysicis*: unde nec ab ipso Deo fieri unquam potest, v. gr. *circulus quadratus*. Physice vero impossibile est *id, quod pugnat cum essentiis rerum physicis*: unde nec ab ipso Deo fieri potest nisi in casu miraculi, v. gr. *quod ignis materiam aptam et illi applicatam non comburat*. Denique impossibile moraliter est *illud, quod physice quidem non repugnat, tot tamen impedimentis externis circumdatur, quæ repugnantix paria sunt*; ut *quod jactus talorum centies repetitus semper eundem numerum reddat*. Si impedimenta hæc sint talia, ut nunquam omnino evenire permittant rem illam, quæ physice non repugnat; tunc res hæc habet impossibilitatem *moralem strictam*. E contra, si solum faciunt ne ordinarie eveniat et illi permittunt ut aliquando, licet raro, contingat; tunc res hæc non habet nisi impossibilitatem *moralem latam*.

Triplex hoc genus impossibilitatis fundat in nobis triplex genus certitudinis, de quo in Logica locuti sumus (L. 304).

§ II. UNDE DESUMENDA SIT ORIGO POSSIBILITATIS
INTRINSECÆ.

43.—Cum possibilitas intrinseca et extrinseca intime copulatae existant, non defuerunt homines, qui unam cum altera turpiter confunderent. Quidam enim Scholastici res omnes intrinsece possibles ideo esse dixerunt, quia Deus habet in se potentiam ad illas producendas. Cartesius vero possibilitatem hanc ex libera Dei voluntate derivavit; et *circulum rotundum* ex. gr. ideo intrinsece possibilem putavit, quia Deus libere ejus rotunditatem decrevit. Alii denique illam fundant, remote quidem in essentia Dei subministrante intellectui divino materiam suarum idearum exemplarium, immediate autem in ipso hoc intellectu praedictas ideas exemplares concipiente: unde res ideo intrinsece possibles esse opinantur, quia sic Deus per suas ideas exemplares repræsentat. Contra has omnes opiniones pugnat sententia vera, quæ originem possibilitatis intrinsecæ in sola Essentia divina collocat. Quam ut tueamur, sequentes theses probandas assumimus.

PROPOSITIO PRIMA.

*Possibilitas rerum intrinseca non dependet a divina
omnipotentia.*

44.—*Demonst.*—1.º Si interna rerum possibilitas dependeret a divina omnipotentia; res aliqua ideo dicenda esset possibilis vel impossibilis, quia Deus potest vel nequit eam facere. Atqui hoc est absurdum, quia ponit veram impotentiam in Deo. Ergo... 2.º Omnis potentia supponit objectum suum, saltem ut possibile; et illud non facit. Atqui objectum potentiae divinæ sunt res interne possibles. Ergo internam earum possibilitatem non facit sed supponit; ac proinde possibilitas hæc ab illa non pendet.

45.—Ad rem optime D. Thomas. «Si autem dicatur quod Deus sit omnipotens, quia potest omnia quæ sunt possibilia suæ potentiæ; erit circulatio in manifestatione omnipotentiae: hoc enim non erit aliud quam dicere, quod Deus est omnipotens, quia potest omnia quæ potest. Relinquitur igitur, quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolute; quod est alter modus dicendi possibile. Dicitur autem aliquid possibile vel impossibile absolute (*seu intrinsece*), ex habitudine terminorum. Possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subjecto, ut *Sortem sedere*: impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subjecto, ut *hominem esse asinum*» (1).

Solvitur quædam difficultas.

46.—Sublata Dei potentia, perit interna rerum possibilitas. Ergo hæc ab illa dependet.

Resp.—1.^o *Dist. ant.* Sublata Dei potentia, perit interna rerum possibilitas, *per locum*, ut ajunt, *extrinsecum*, seu quia per hoc aufertur Essentia divina, ex qua dependet interna possibilitas, Conc.: *per locum intrinsecum*, seu præcise quia aufertur de medio Dei potentia, Neg. Destruendo Dei potentiam destruimus quidem ipsa possibilia: hoc autem ideo accidit, quia tam possibilia quam omnipotentia in principio quodam altiori fundantur; divina scilicet Essentia, ex qua et Dei potentia et omnia possibilia originem ducunt. Ita enim fit ut, sublata omnipotentia, auferatur etiam Essentia Dei, quæ est omnis possibilitatis radix.

Resp.—2.^o *Trans ant., neg. cons.* Si ex eo quod ablatio potentiæ divinæ secum ferat ablationem pos-

(1) S. Thom. *Summ. Theol.*, 1. p. q. 25, art. 3.

sibilium inferre liceat hæc dependere ab illa; pari ratione inferre licebit potentiam Dei dependere a possibilibus, quia horum etiam ablatio evertet potentiam Dei, cum non detur potentia sine objecto. Unde manifeste patet esse negandam consequentiam argumenti propositi.

PROPOSITIO SECUNDA.

*Interna rerum possibilitas non pendet a libera
Dei voluntate.*

47.—*Demonst.*—1.^o Si interna rerum possibilitas penderet a libera Dei voluntate, Deus libero suo arbitrio potuisset efficere: *a*) ut omnia quæ nunc suntabilia, forent impossibilia, et viceversa; *b*) ut nihil foret possibile aut impossibile; *c*) ut aliquid foret possibile pro uno tempore et impossibile pro alio, etc. Sed hæc sunt manifeste absurda; quia sic nihil fixum et stabile in ordine idearum remanet. Ergo... 2.^o Voluntas Dei, non secus ac potentia, supponit objectum suum, saltem ut possibile. Ergo possibilitas illius ab ipsa non pendet.

Solvitur quædam difficultas.

48.—Si interna rerum possibilitas esset independens a libera Dei voluntate, voluntas Dei esset limitibus circumscripta; quia solum velle posset intrinseceabilia. Sed divina voluntas nullis limitibus circumscribitur. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.* Ad prob. *Neg. cons.* Nam ex eo quod Deus non possit velle nisi intrinseceabilia, non sequitur illius voluntatem limitibus esse circumscriptam. Sane tunc esset vere limitibus circumscri-

pta, quando esset aliquod verum ens, quod illa producere non posset. Jam vero divina voluntas ad omnia entia vera se extendere valet, quamvis producere nequeat intrinsece impossibilia; cum hæc vera entia non sint sed negationes entium. Ergo ex eo quod Deus non possit velle nisi intrinsece possibilia, nulla sequitur limitatio in divina voluntate.

PROPOSITIO TERTIA.

Possibilitas rerum intrinseca non dependet ex intellectu divino.

49.—*Prob.*—1.° Si possibilitas rerum intrinseca dependeret ab intellectu divino; res ideo forent possibiles, quia Deus eas intelligit. Atqui e contra ideo eas intelligit Deus, quia ipsæ de se sunt possibiles. Ergo... 2.° Si intellectus divinus rebus conferret suam possibilitatem, conferret etiam suam intelligibilitatem; hæc enim ex illa immediate oritur. Atqui intellectus divinus non confert rebus suam intelligibilitatem, sed eam in illis supponit. Ergo... 3.° Si possibilitas prædicta oriretur ab intellectu divino, intellectus hic crearet sibi objectum suum. Atqui nulla potentia creat sibi objectum circa quod versatur, sed e contra illud supponit tamquam attingibile per eam. Ergo...

Difficultates.

50.—*Obj.* I. Opus faciendum, ante quam fiat, dependet ab intellectu artificis, ex cuius idea denominatur. Atqui possibilia nihil aliud sunt nisi res creabiles, et ad Deum tamquam ad artificem referuntur. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.* Opus faciendum, ante quam fiat, dependet ab intellectu artificis quoad *statum suum idealem et quoad suam possibilitatem extrinsecam*, Conc.: *quoad internam suam possibilitatem, et intelligibilitatem*, Neg. Hinc, *conc. min., neg. cons.* Artifex nequit sua artefacta concipere, ni hæc jam in se ipsis sint conceptibilia. Ergo artifex intelligibilitatem eis proprie non confert per suas ideas exemplares; sed solum quemdam statum idealem in mente sua, necessarium ad hoc ut artifex possit ea producere, ac proinde pertinentem ad eorum possibilitatem, non intrinsecam, sed extrinsecam. Videatur hac de re Suarez. *Metaphys.* disp. 31, sect. 12, n. 46.

51.—Obj. II. Possibilia, prout talia, nullam realitatem sed solam idealitatem participant. Sed omnis illorum idealitas pendet ab intellectu divino eam concipiente. Ergo...

Resp.—*Dist. 1.^{am} p. majoris.* Possibilia, prout talia, nullam realitatem *physicam* participant, Conc.: *objectivam et potentialem*, Neg. Deinde *nego secundam partem minoris*: et inde, *concessa minore, nego consequentiam*. Realitas possibilium non est illud esse ideale, quod habent in intellectu divino, sed aliquid extra ipsum: quod quidem nihil est actuale et physicum, prout mere possibile est, sed esset tale, si a Deo produceretur; ac proinde quid metaphysicum et intelligibile dici debet.

52.—Obj. III. Si interna rerum possibilitas non dependeat ab intelligentia divina; propositiones æternæ veritatis non ideo erunt tales, quia ita eas concipit intellectus divinus, sed quia hoc postulat natura ipsius objecti, circa quod versantur. Sed hoc est incidere in subjectivismum kantianum: in hac enim hypothesi necessitas horum enuntiatorum non potest reduci nisi *in necessitatem subjectivam nostræ rationis*

sic illa concipientis. Ergo... (Ita P. Harper, impetens Suarezium hac in re non admodum prudenter (1).

Resp.—*Dist. maj.* Si interna rerum possibilitas etc.; propositiones æternæ veritatis ideo *proxime* erunt tales, quia hoc postulat natura objecti; Conc.: ideo *unice et ultimo*, Neg. Deinde, *contradistinguo minorem et nego prorsus assertum in probatione illius contentum*. Juxta doctrinam Suarezii, quæ est ipsissima hic a nobis defensa, possibilitas rerum fundatur in Essentia divina, quæ est fons omnis prorsus realitatis. Unde quamvis natura objecti attingibilis sit vera ratio *proxima* æternæ veritatis in enuntiatis necessariis contentæ; non ideo tamen necessitas horum enuntiatorum resolvetur in necessitatem subjectivam nostræ rationis: sed ratio vere ultima illius erit divina Essentia, quæ ex se ipsa est fons et origo quarumcumque essentiarum finitarum et necessitatis cujusvis per illas importatæ.

PROPOSITIO QUARTA.

*Possibilitas rerum intrinseca immediate dependet ex
Essentia divina.*

Duas partes continet thesis: in prima asserimus possibilitatem prædictam dependere ex Essentia divina; in secunda autem dependere immediate. Primam videntur negasse Genuensis et Storchenau; secundam vero negant quotquot in tribus præcedentibus propositionibus impugnativimus.

53.—*Prob 1.^a p.*—1.^o Omne conditionatum debet fundari in aliquo absoluto. Atqui possibilitas rerum est quid conditionatum: possibile enim est illud, quod

(1) Harper, *The Metaphysics of School*, vol. I, chapt. IV, prop. XXIII, pag. 142.

si reducatur ad actum, nulla sequitur contradictio. Ergo... 2.^o Possibilia, quamvis nullam physicam realitatem habeant, sunt tamen vera entia ut contrapositione chimærae. Sed quidquid habet rationem entis, debet fundari in Ente antonomastice tali, seu Deo. Ens enim hujusmodi est fons et fundamentum cujuscumque realitatis, seu entis particularis: nam, ut optime docet D. Thomas, «illud est causa omnium in aliquo genere, cui maxime convenit illius generis prædicatio (1).» Ergo...

54.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Possibilia pendent a Deo, ut constat ex prima parte hujus theseos. Atqui non dependent mediantibus ejus attributis, quæ sunt potentia, intellectus et voluntas, ut probatum est in propositionibus præcedentibus. Ergo pendent a divina Essentia immediate. 2.^o Essentia divina se ipsa et ratione suæ entitatis perfectissimæ est innumeris modis imitabilis *ad extra*. Ergo se ipsa et antecederet ad omnem actum divini intellectus connotat hos modos ut res factibiles et intelligibiles. Sed res, quatenus in se factibiles et intelligibiles, dicuntur intrinsece possibiles. Ergo possibilia suam intrinsecam possibilitatem ab Essentia divina immediate accipiunt. 3.^o Hoc ipsum confirmatur ex optima doctrina, quam Sanctus Thomas tradit circa modum quo essentiæ finitæ continentur in Essentia divina. Juxta illam enim essentiæ finitæ continentur in Essentia divina, sicut actus incompleti in completo, sicut animalitas in humanitate, et sicut numerus ternarius in senario (2). Atqui exinde manifeste sequitur possibilitatem prædictam pendere immediate ab Essentia divina. Si enim hæc Essentia, ratione sui ipsius et ante-

(1) S. Thom. *cont. gent.* lib. 2, cap. 15, n. 2.

(2) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 14, art. 6.

cedenter ad omnem actum, continet in se omnes essentias finitas modo dicto; ratione etiam sui ipsius et antecederet ad omnem actum erit veluti *idea quædam speculativa* harum essentiarum, illisque communicabit rationem *rerum factibilium et intelligibilium*; quod est reddere eas intrinsece possibles. Ergo...

55.—Atque hæc doctrina Aquinatis traditur etiam a Cardinale Toletus: qui hæc verba scribit nostram sententiam confirmantia: «Per hoc quod Deus est communicativus et potens facere ut participetur, creaturæ incipiunt habere esse possibile necessarium; quod non est aliquod esse in creaturis intrinsecum, sed sola Dei potentia et participabilitas necessaria. Unde creaturæ necessario sunt possibles, sicut et essentia necessario est participabilis (1).» Et ibidem ideas Dei exemplares ad possibilitatem rerum extrinsecam pertinere tradit, dicens per hasce ideas *compleri* possibilitatem creaturarum, *quia a Deo non procedunt nisi mediante intellectu*.

56.—Eodem etiam modo loquitur Lessius hæc verba proferens: «Intrinseca possibilitas est aptitudo ipsius rei seu non repugnantia ad existendum. Eadem dici potest possibilitas *remota*; ratione enim hujus dicitur res possibilis, etiamsi non consideretur ulla potentia, qua possit produci; sicut color est in se visibilis, etiamsi nullus sit visus, qui possit illum videre. Hanc possibilitatem habet res quodammodo a Deo; non quidem per actionem aliquam liberam vel necessariam, (esse enim possibile, qua tale, non potest esse terminus productionis nec potest habere causam effectivam); sed habet eam a Deo *tamquam a causa quasi exemplari*. *Essentia enim divina, quatenus est tali modo imitabilis, est ratio per modum radicalis ideæ cur humana natura sit possibilis et habeat tale esse objectivum et potentiale*. Idem censendum de reliquis omnibus possibilibus... Itaque omniaabilia continentur in Essentia divina tamquam in originali radice et quasi in exemplari virtuali et radi-

(1) Toletus, *Comment. in Summ. Theol. S. Thomæ*, loc. cit.

cali, in sapientia tamquam in exemplari formali, in quo etiam existunt objective modo perfectissimo et illustrissimo (1).»

57.—Exinde patet quam immerito citetur Lessius pro sententia illorum, qui tenent possibilia dependere immediate ab intellectu, remote vero ab Essentia Dei. Lessius enim expresse docet rationem possibilitatis intrinsecæ, quam ille *remotam* posse vocari scribit, immediate derivari ex Essentia divina; eo quod hæc ratione sui ipsius est tali modo imitabilis ad extra atque veluti idea radicalis omnium possibilium.

58.—Neque vero quis dicat Lessium vocare Essentiam divinam *exemplar virtuale et radicale* possibilium, sapientiam vero Dei *exemplar formale*; ac proinde, juxta ipsum, ante formationem idearum exemplarium ope intellectus divini editam nihil esse *formaliter* possibile sed *radicaliter* tantum. Lessius enim tribuit Essentiæ divinæ nomen *exemplaris virtualis et radicalis*, non quod putet possibilia non denominari per illam proprie et realiter intrinsece talia, cum contrarium expressis verbis tradat; sed quia Essentia in se non est proprie idea exemplaris, cum non sit actus intellectus, sed ratione suæ imitabilitatis intrinsecæ gerit respectu possibilium vices ideæ proprie dictæ, cisque realiter confert per se ipsam immediate rationem propriam ac veram possibilitatis intrinsecæ.

59.—Ratione hujus imitabilitatis ad extra vocatur etiam Essentia divina a Patribus *Verbum*, in quo omnes res creatæ ac creabiles relucet: non quod Essentia proprie sit Verbum, cum verbum sit actus intellectus; sed quia ratione suæ perfectionis summæ gerit vices verbi, res omnes finitas denominando intrinsece possibiles, easque intellectui divino quasi in speculo perfectissime representando.

Solvuntur difficultates.

60.—Obj. I. Hæc sententia videtur favere pantheismo. Juxta illam enim possibilia forent ipsa Essentia divina, prout imitabilis ad extra. Ergo...

(1) Lessius, *De perfectionibus, moribusque divinis*, lib. V, cap. II, §§ 10-11.

Resp.—*Neg. ant. cum ejus probatione.* Juxta doctrinam namque traditam possibile non sunt ipsa Essentia divina, prout imitabilis ad extra, sed *termini extrinseci* hujus imitabilitatis; qui, dum sunt in statu meræ possibilitatis, nihil sunt reale physicum nec in se nec in Deo, sed quid mere potentiale et objectivum, quod accipit denominationem *intrinsece possibilis* ab Essentia divina ex se ipsa habente imitabilitatem prædictam.

61.—Obj. II. Si possibile dependerent a divina Essentia, non possemus de illis cogitare, quin hanc etiam cogitaremus. Atqui contrarium omnino accidit. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.* Non possemus de possibilibus cogitare *penetrando intimam eorum essentiam*, quin Essentiam divinam cogitaremus, Conc.: non possemus de illis cogitare *ullo modo*, quin de prædicta Essentia cogitaremus, Neg. Hinc, *contrad. min., nego cons.* Essentiæ rerum in se ipsis quid relativum sunt dicens ordinem ad Essentiam divinam; et ideo cognitione *perfecta* non possunt concipi nisi simul concipiatur Essentia divina. Sed ad cognitionem illarum *imperfectam* non requiritur cognitio suæ relationis ad Deum; quia hoc genere cognitionis res etiam relativas concipimus ut entia quædam, non considerata earum relatione.

§ III. DE NATURA POSSIBILIIUM.

62.—Sumimus in hoc paragrapho possibile *formaliter* seu ut contradistincta ab entibus existentibus. Possibilia hæc apprehendimus ut res quasdam *necessarias, immutabiles et æternas*; siquidem quod nunc est intrinsece possibile, semper et immutabiliter fuit tale. Propter has possibilium proprietates aliqui putaverunt ea esse essentias quasdam physicas, realiter distinctas a Deo et temporaliter actuabiles per existentias ab eo

productas. Alii dixerunt esse *entia quædam diminuta*, intermedia inter ens physicum et ens rationis. Alii e contra omnem eis entitatem negarunt, possibilitatem illorum confundentes sive cum omnipotentia Dei sive cum ideis exemplaribus per divinum intellectum efformatis. Sententia autem communis et vera docet possibilea formaliter sumpta non distingui nisi *quoad statum* ab existentibus; ac proinde rem possibilem, antequam veniat ad existentiam, esse purum nihil, entiumque denominationem accipere, quatenus exprimit in se meram non-repugnantiam ad existendum, in quo distinguitur a rebus chimæricis et impossibilibus (1).

PROPOSITIO PRIMA.

Possibilia non habent esse aliquod physicum realiter distinctum a Deo.

63.—*Demonst.*—Vel esse physicum et realiter distinctum a Deo, quod necessario, immutabiliter et ab æterno his possibilibus competere fingitur, habet originem a Deo, vel non. Si *primum*; possiblea erunt entitates quædam physicæ necessario a Deo emanantes et ejusdem naturæ cum illo; quod purus est pantheismus. Si *secundum*; præter Deum dabuntur plura entia a se, necessaria et æterna; quod est absurdum. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Possibilia non habent esse quoddam diminutum, intermedium inter reale et logicum, distinctum a Deo, necessarium et æternum.

64.—*Demonst.*—I.º Esse intermedium inter reale et logicum est pure fictum, siquidem inter ens reale et

(1) Cfr. Losada, *Disput. Metaphys.* Disp. II *de possib. et exist. entis creati*, cap. 1.

ens rationis non datur medium. Ergo... 2.º Esse æternum et necessarium realiter distinctum a Deo omnino repugnat propter rationes adductas in præcedente propositione. Ergo...

PROPOSITIO TERTIA.

Esse proprium et formale possibilium non est quid existens in Deo.

65.—*Demonst.*—1.º Possibilia habent quidem esse quoddam *eminentiale* in Essentia divina, esse quoddam *virtuale* in omnipotentia et esse quoddam *ideale* in intellectu Dei; sed ab his omnibus realiter distinguitur esse illorum proprium et formale. Nam esse proprium et formale possibilium est illud ipsum, quod virtute causarum efficientium fit actuale; quod de nullo ex tribus aliis dici potest. Ergo, cum possibilia nullum habeant esse in Deo præter tria prædicta, concludendum est esse proprium et formale possibilium non esse quid existens in Deo. 2.º Omne quod existit in Deo, realiter identificatur cum ipso Deo. Sed esse proprium et formale possibilium non identificatur realiter cum Deo; quia secus etiam identificaretur realiter cum Deo esse reale et physicum rerum existentium; cum illud ipsum ens, quod nunc est possibile, postea sit existens per virtutem causarum illud producentium. Ergo...

PROPOSITIO QUARTA.

*Possibile formaliter sumptum
est illud ipsum ens, quod non existit, sed existeret si
a Deo produceretur.*

66.—*Demonst.*—Esse proprium et formale possibilium vere produci potest; ideo enim vocatur *possibile*.

Sed esse quod vere produci potest, est illud ipsum quod de facto producitur, seu illud ipsum, quod nunc non existit, sed vere existeret, si a Deo produceretur. Ergo... Sic ego ipse, qui nunc existo, antea eram possibilis: et meum esse possibile erat tunc illud ipsum, quod non existeret, sed exstiturum erat, quando a Deo produceretur.

67.—COROLLARIUM I.^{um}—*Ergo ens pure possibile est merum nihilum.* Sequitur evidenter ex dictis; quia esse proprium et formale possibile non est quid reale nec in Deo, nec extra Deum. Notat hoc expresse Suarez per hæc verba: «In hac sectione aliud principium et fundamentum eorum, quæ dicenda sunt, statuendum est; nimirum in rebus creatis ens in potentia et in actu immediate et formaliter distingui tanquam *ens* et *non-ens* simpliciter (1).» Dicitur tamen *ens* per contrapositionem ad res chimæricas et intrinsece impossibiles, quæ nec sunt quid reale nec esse possunt.

68.—COROLLARIUM II.^{um}—*Ergo possibilitas entis pure possibilis formaliter sumpta est etiam nihil actuale seu non-ens.* Ratio est; quia possibilitas entis formaliter sumpta est ipsum ens, quatenus non habens repugnantiam ad existendum; ac proinde in ente mere possibili hæc possibilitas in mera non-repugnantia ad existendum reponenda est.

Solvuntur difficultates.

69.—Obj. I. Si esse proprium et formale possibile non est quid actuale sed merum nihilum, non poterit ab æterno cognosci. Atqui hoc est falsum. Ergo...

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 31, sect. 3, n. 1.

Resp.—*Dist. maj.* Si esse proprium et formale possibile non sit quid actuale, non potest ab æterno cognosci *cognitione per illud causata*, Conc.: *cognitione non per illud causata sed mere terminativa in ipsum*, Neg. Siabilia deberent agere in intellectum divinum ad producendam in eo et cum eo cognitionem sui, valeret objectio. Sed intellectus divinus non eget ulla determinatione extrinseca ad illa cognoscenda, cum se ipso sit determinatus ad repræsentandum omne repræsentabile; et ideoabilia repræsentat, quamvis nihil sint actuale sed quid mere potentiale et objectivum.

70.—Obj. II. Siabilia nullum esse actuale contineant, non erunt in se quid potentiale et objectivum; quia nullam habebunt entitatem nec intelligibilitatem. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.* Ad probat. *Dist. assert.* Possabilia in prædicta hypothesi nullam habebunt entitatem *physicam*, Conc.; *potentialem et intelligibilem*, Neg. Ens possibile, quamvis sit non-ens *actuale* et merum nihilum, tamen est verum ens *potentiale* et *objectivum*; quia vere potest existere et per hoc distinguitur a rebus chimæricis et absurdis, quæ sunt mera entia rationis et non realia.

71.—Obj. III. Saltem in hac hypothesi judicia verasantia circa essentias rerum non erunt æternæ veritatis; quia nulla erit essentia finita æterna. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.* Ad prob. *Dist. assert.* Nulla essentia finita erit *positive* æterna, Conc.; *negative* æterna, Neg. Jam vero ut judicia æternæ veritatis circa essentias rerum enuntiari queant, sufficit ut essentia hujusmodi æternitate negativa præditæ sint et ab omni tempore actuali præscindant.

72.—Quæstionem hanc de rerum possibilitate latius tractavimus, quia nostris temporibus id convenientissimum videba-

tur; in quibus Pantheistæ totam Philosophiam perverterunt, essentias rerum pro *modis quibusdam physicis* Essentiæ divinæ insanissime habentes.

CAPUT II.

De Ente relative considerato.

73.—Postquam interna Entis constitutiva in præcedente capite rimati sumus, nunc sub aspectu quodam relativo illud considerare oportet, quo clarius pateat intima ejus natura. Itaque distinctis illud articulis comparabimus cum Ente actualissimo seu Deo, cum ente rationis, cum diversis modis Entis, quæ *categoriae* vocantur, ac denique cum nihilo.

ARTICULUS PRIMUS.

De Ente ontologico cum theologico comparato.

74.—Pantheistæ turpiter confundentes Ens universale et potentiale ad Ontologiam spectans cum Ente actualissimo seu Deo, quod est objectum Theologiæ, consequenter dicunt Deum esse ens universale seu indefinitum, quod se determinando constituit rerum universitatem in genera, species et individua distinctam. Pariter Ontologi ob eandem utriusque objecti confusionem asserunt, nos modo quodam habituali et constanti intueri directe Deum sub ratione entis, intuitu quodam totali et indeterminato; cæteras autem cognitiones intellectuales non aliud esse quam determinationes et limitationes prædicti intuitus totalis et indeterminati: unde manifeste sequitur objecta etiam harum cognitionum seu essentias finitas non esse nisi limitationes et determinationes divinæ Essentiæ, quod tandem in purum pantheismum resolvitur. Ad vitandos ergo hos perniciosissimos errores, diligenter distinguere oportet inter utrumque Ens memoratum: quod quidem sequenti thesi obtinere conabimur.

PROPOSITIO.

Ens ontologicum toto cœlo distat ab Ente theologico.

75.—*Demonst.*—1.^o Ens ontologicum est quædam essentia *metaphysica prescindens ab existentia*. Atqui Ens theologicum est quædam essentia *physica, de cujus notione est existentia*. Ergo... 2.^o Ens ontologicum ex se nullam dicit necessitatem nisi *hypotheticam* (20). Atqui theologicum dicit necessitatem omnino *absolutam*. Ergo... 3.^o Ens ontologicum est *potentiale et indeterminatum*; ita ut existere in re nequeat nisi per aliquas additiones, quæ illud contrahant ad aliquod genus, speciem et individua. Atqui theologicum est *actualissimum* et prorsus *determinatum*; ita ut nihil ei addi possit et nullam omnino determinationem pati queat. Ergo... 4.^o Denique Ens ontologicum est *extensive* tantum infinitum; ita ut de omnibus et singulis entibus prædicari possit, et solam notam *entitalis* in se contineat. Atqui theologicum est *intensive* tantum infinitum; ita ut contineat in se modo absolutissimo et perfectissimo omnes perfectiones possibles et de solo Deo prædicari valeat. Ergo...

76.—Ex utriusque entis comparatione constat theologicum ontologico longissime antecellere. Nam ontologicum non exprimit nisi *quid potentiale et actuabile* per existentiam; theologicum autem dicit *actum purum omni potentialitate destitutum*. Unde primum nonnisi imperfectissime participat rationem *entis realis et existentis*, cum solum dicat *capacitatem existendi*; secundum vero totam *plenitudinem entis realis et existentis* in se continet, cum sit existentia pura et nihil habeat in se capacitatis receptivæ; propter quod recte vocatur *ens antonomastice tale, actus purissimus, ens plenissimum in ratione essendi, etc.*

ARTICULUS II.

De Ente ontologico et de Ente rationis.

77.—Ex nuper demonstratis constat Ens ontologicum esse ex se mere potentiale, ita ut in rebus existere nequeat absque additione alicujus differentiae, quæ illud contrahat ad aliquod genus, speciem et individuum. Propter hæc alicui forte videatur ens ontologicum inter entia rationis reponendum esse. Ut ergo distinctio utriusque pateat, sequentem statuemus propositionem.

PROPOSITIO.

*Ens ontologicum minime cum ente rationis
confundi potest.*

78.—*Prænot.*—Ens rationis definitur a Conimbri-
censibus: *Illud, cujus esse pendet ab operatione intel-
lectus objective* (1). Porro existentia alicujus entis pot-
est pendere ab intellectu *effective, subjective* vel *ob-
jective*. *Primo* modo pendent artefacta; quæ existere
nequeunt sine actione aliqua artificis per intellectum
directa. *Secundo* dependent actus omnes intellectus;
qui nonnisi in intellectu tamquam in subjecto existe-
re possunt. *Tertio* denique dependent entia rationis:
tota enim eorum entitas est objectiva, objectivitas
autem hæc existere nequit nisi in intellectu, ut ap-
prehensa. Talia sunt ex. gr. *species* et *genera*: quæ,
ut talia, non aliam habent entitatem objectivam nisi
illam, quæ relucet in intellectu ea apprehendente.

79.—*Demonst.*—Ens rationis solum habet existen-
tiam in intellectu. Atqui ens ontologicum non solum
habet hanc existentiam, sed præter hanc habet etiam

(1) Conimbrienses, in *præfat. Porphyrii*, q. 6, art. 1.

realem et extrinsecam in ipsis objectis externis; sive mere possibilem, quando agitur de entibus mere possibilibus, sive actuaalem et physicam, quando sermo est de entibus physicis: siquidem de his omnibus vere prædicatur. Ergo...

80.—SCHOLIUM.—Tres entium rationis classes enumerant philosophi: *relationes* nempe *logicas*, *negationes* et *privationes*. In omnibus illis concipimus ens quoddam fictum ad instar entis realis. Sic inter *hominem* et *Petrum* datur relatio pure logica, quæ solum existit objective in intellectu. Sic etiam *tenebras* et *oculorum cæcitatem* concipimus ut res quasdam positivas; cum tamen primæ in absentia lucis consistent, secunda vero non sit aliud quam carentia perfectionis cujusdam homini debitæ.

81.—Notandum vero intellectum nostrum in fingendo hujusmodi entia minime errare. Licet enim illa concipiat *ad instar entium realium*, non tamen affirmat implicite aut explicite ea esse realia.

ARTICULUS III.

De Ente ontologico cum categoriis comparato.

82.—Categoriæ dicuntur *rationes generum supremæ*, in quas immediate *Ens ontologicum dividitur* (L. 68). Ens vero theologicum sub nulla illarum continetur; cum propter suam maximam actualitatem supra ipsum Ens ontologicum existat (76), ac proinde proprie loquendo nec *spiritus*, nec *substantia*, nec *ens* appellari debeat, sed *superspirituale*, *supersubstantiale* et *superessentiale*.

83.—Numerus harum categoriarum varius est, juxta diversos modos quibus Ens considerari potest. Scholastici autem cum Aristotele divisionem ab Archita Tarentino inventam sequuntur: quæ, utpote objectiva et maxime rationalis (1),

(1) Vide tamen Conimbricenses, in cap. 3.^{um} de prædicationis, q. 2, ar. 3: ubi ostenditur ratiocinium, in quo fundatur, non esse demonstrativum.

præ ceteris omnibus probanda est, ut jam in Logica observavimus (L. 69).

Nostra quidem ætate Kantius aliam ei sufficere conatus est, pro decem aristotelicis duodecim categorias statuens. Sed quamvis ingeniosa, minime probanda est; cum in subjectivismo suo sceptico eam fundaverit.

His præmissis, jam ad declarandam relationem veniamus Ens inter et categorias intercedentem.

PROPOSITIO PRIMA.

*Ratio Entis invenitur in omnibus differentiis, quibus
Ens ad categorias contrahitur.*

Est contra Scotum dicentem realitates illas, quibus Ens contrahitur ad singulas categorias, quales sunt ex. gr. *perseitas*, *inalietas*, etc., esse modos quosdam minime involventes in se rationem entis.

84.—*Demons.*—1.º Realitates illæ, quibus Ens immediate contrahitur ad singulas categorias, sunt quædam essentialitatis positivæ; cum Ens additione illarum vere actuetur et a sua indeterminatione abstrahatur. Atqui omnis essentialitas positiva continet in se veram rationem entis, cum sit aliquid aptum ad existendum. Ergo... 2.º Realitates prædictæ sunt inæquales in perfectione ratione sui ipsarum: nam *perseitas* v. gr., per quam trahitur Ens ad genus *substantialitatis*, ratione sui ipsius est perfectior *inalietate*, per quam constituitur *accidens*. Ergo involvunt in se veram perfectionem ac proinde entitatem; nam perfectio et entitas sunt unum et idem.

Solvuntur difficultates.

85.—Obj. I. Si realitates memoratæ involverent in se rationem entis, in hac ratione omnes convenirent. Ergo haberent in se aliquid omnibus commune et

aliquid singulis proprium. Rursus hoc proprium, utpote continens in se rationem entis, haberet in se aliquid omnibus aliis realitatibus commune, et aliquid sibi proprium: et sic in infinitum, quod repugnat. Ergo realitates prædictæ non sunt vera entia.

Resp.—*Conc. ant. et neg. cons.* Realitates enim illæ se ipsis sunt primo diversæ, quin aliquid habeant commune et aliquid proprium. Concipiuntur quidem *ut entia* conceptu quodam *absoluto et indeterminato*, sed apprehenduntur *ut talia entia*, seu realitates particulares, conceptu *relativo et determinato*.

86.—Obj. II. Realitates prædictæ non sunt *entia* sed *aliquid entis*. Ergo non continent in se propriam rationem entis, sed sunt quid intermedium inter ens et nihilum.

Resp.—*Dist. ant.* Non sunt entia *completa*, Trans.: non sunt entia *simpliciter*, Neg. Sane realitates hæ sunt aliquid *quo* ens existit: sed non ideo desinunt esse vera entia, cum sint veræ et proprie dictæ quidditates, in quo entis ontologici ratio consistit (1).

PROPOSITIO SECUNDA.

*Ratio entis ad categorias contrahitur,
non per modum compositionis, sed per modum
expressioris conceptus.*

87.—*Prob. 1.º* Tunc proprie ratio aliqua universalis contrahitur ad alias inferiores seu minus universales per modum compositionis, cum differentia illi superaddita extra ipsam vagatur, seu in ipsa formaliter non includitur. Sic v. gr. *animalitas* contrahitur ad *humanitatem* per compositionem; quia *rationalitas*

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 2, sect. 5.

illam contrahens exprimit quid formaliter distinctum ab *animalitate*. Sed differentiae contrahentes Ens ad sua inferiora non sunt extra ens; sed veram entis rationem exprimunt, ut probatum est in præcedente propositione. Ergo contractio entis ad sua inferiora ac proinde ad categorias non fit per modum compositionis cum modis ei supradditis sed per modum expresioris conceptus.

2.^o Si dicamus contractionem prædictam fieri per modum compositionis, consequenter debemus asserere differentias contrahentes Ens in duos conceptus resolubiles esse, alium nempe omnibus communem et alium singulis proprium. Sed hoc admitti nequit; quia conceptus hi proprii essent rursus in alios resolubiles et hi in alios sine numero, quod est inconueniens. Ergo.

3.^o Contractio Entis ad sua inferiora optime explicari potest per duos conceptus ejusdem rei, quorum uno apprehendatur res modo quodam confuso, et altero modo quodam clariori et perfectiori; hoc enim etiam in aliis rebus efficit mens per suam facultatem abstractivam. Sic, cum concipimus ex. gr. *quantitatem bicubitam* aut *tricubitam*, etc., non componimus *bicubitum* aut *tricubitum* cum *quantitate*, cum in illorum conceptu hujus etiam conceptus formaliter contineatur; sed rem unam et eandem duobus conceptibus apprehendimus, uno confuso et altero distincto. Ergo ita explicanda est; quia hoc modo expeditius solvuntur difficultates, quæ in hac materia dilucidanda occurrunt.

PROPOSITIO TERTIA.

Ratio entis non est generica sed analogica.

88.—*Prob. 1.^a p.*—Si ratio entis foret generica, differentiae quæ illam ad alias rationes contraherent, essent extra ipsam: hoc enim accidit in omni differentia relate ad suum genus, ut in *rationalitate* ex. gr. relate ad *animalitatem*. Sed nulla differentia contra-

hens Ens ad sua inferiora est extra ipsum, quia omnis differentia est ens. Ergo ratio entis non est generica.

89.—*Prob. 2.^a p.*—Analogia dicuntur illa, quorum nomen est commune et ratio significata per nomen partim est eadem et partim diversa. Atqui ratio significata in diversis rebus per nomen *Ens* partim est eadem et partim est diversa. *Prob. min. Partim est eadem*: quia omnes conveniunt in eo quod sint vera et realia entia. *Partim vero est diversa*: quia ratio essendi illis conveniens diverso modo se habet in diversis rebus. In Deo enim ratio essendi se habet *essentialiter*, in creatura vero *accidentaliter*; in substantia *ut in se*, in accidente autem *ut in alio*, etc. Ergo...

Solvitur quædam difficultas.

90.—*Esse essentialiter* et *esse accidentaliter*, *esse in se* et *esse in alio* sunt differentię contrahentes Ens. Ergo ratio entis, prout ab illis præcisa est in unoquoque ente uniformiter; ac proinde non analogia sed univoca dicenda est.

Resp.—*Dist. antec. Esse essentialiter*, etc. sunt differentię *late dictæ* Conc.; *proprie dictæ*, Neg. *Et sub data distinctione nego consequentiam*. Ad univocationem alicujus conceptus requiritur, ut differentię illum contrahentes sint *proprie* tales, seu ut non contineant formaliter in se rationem illam quam contrahunt. Jam vero in conceptu entis hoc non accidit; quia differentię contrahentes Ens sunt vera entia. Hinc autem fit, ut categorię omnes sint conceptus simplices non resolvable in alios, et clarius atque expressius exprimentes eandem rem, quæ sub conceptu Entis confuse exprimitur. Unde negari etiam debet suppositum consequentis; in quo dicit adversarius rationementis, prout a suis differentiis

præcisam, esse uniformiter in unoquoque ente. Non enim ratio entis in unoquoque ente a differentia illum contrahente proprie præscinditur; sed intellectus noster unam et eandem rem sub duobus conceptibus, alio confuso et alio expresiore et clariore, apprehendit (1).

91.—SCHOLIUM.—Krausistæ in comparatione categoriarum cum Ente confirmationem quamdam sui ontologici et pantheistici systematis sibi invenisse gloriantur, dicentes categorias esse *modos quosdam entis*, qui nihil aliud sint nisi ipsum Ens hoc vel illo modo limitatum ac determinatum. Sed vehementer in hoc decipiuntur; categoriæ namque non sunt modi entis theologici seu Dei, sed ontologici seu potentialis et indeterminati.

ARTICULUS IV,

De comparatione Entis ontologici cum Nihilo.

92.—Contrarium Entis est Nihilum. Cum ergo Ens sit illud, quod existit vel existere potest; Nihilum proprie dictum erit *illud, quod nec existit nec existere quit*. Hinc Nihilum in se ipso apprehendi nequit, quia deest illi intrinseca realitas seu cognoscibilitas. Apprehenditur autem in ente per modum cujusdam negationis; ac proinde conceptus Entis est prior conceptu non-entis seu Nihili.

93.—Nihilum contraponitur et enti existenti et enti possibili. Primo modo *proprie* dicitur nihilum, secundo autem *propriissime*. Nihilum proprie sumptum dividitur in *absolutum* et *relativum*. Absolutum consistit in *absentia omnis realitatis possibilis*; relativum in *absentia alicujus realitatis determinatæ*.

94.—Nihilum absolutum potest a nobis concipi; quia possumus mente concipere ens in genere et deinde objecto hujus apprehensionis non-ens contraponere. Non potest autem a nobis affirmari; nam clarissime videmus esse prorsus impossibile,

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 2, sect. 6.

ut detur instans, in quo nihil reale existat. Nihilum autem relativum possumus et concipere et affirmare; quia nullam videmus in hoc repugnantiam. Sic concipere et affirmare possumus spatia omnino vacua, sive intra sive extra mundum posita.

95.—Comparatione facta inter ens et non-ens adquirimus ideas *limitis*, *defectus*, *carentiæ*, *privationis*, etc.; quarum duæ primæ alibi explicandæ a nobis sunt, duæ vero ultimæ hic suam declarationem postulant. Est igitur carentia *absentia alicujus realitatis*; privatio autem *absentia realitatis, non cujuscumque, sed subjecto convenientis*. Sic homo dicitur simpliciter *carere alis*, *sed pati privationem visus*; quia visus est quædam perfectio humanæ naturæ propria, secus vero alæ.

96.—Circa carentiam notandum est, eam non consistere in actu intellectus, quo unam rem de altera negamus; quia negatio hæc est quid positivum in intellectu nostro existens, carentia autem est quid negativum in re ipsa extra nos posita. Nec reponi etiam potest in entitate aliqua reali negativa, cum omnis entitas vera *positiva* dicenda sit; sed dicendum est eam consistere in *mera absentia alicujus perfectionis ab aliqua re*. Circa privationem vero observare oportet, eam in sensu *strictiore* sumptam a nobis fuisse, dum illius definitionem dedimus: in sensu enim *latiore* habet alias multas acceptiones, quas videre est apud auctores (1).

97.—Comparando etiam ens cum non-ente efformamus iudicia generalissima, quæ locum Principiorum tenent, non solum in metaphysica, sed in omnibus prorsus scientiis; ac de quibus nunc in sequente capite agere oportet.

(1) Cfr. Losada, *Disput. metaphys.*, disp. ult. *De oppositis enti reali*, cap. 1. n. 6. Cfr. item D. Thomas *in lib. 5 Metaphys.* lect. 20; in lib. 9, lect. 1; et in lib. 10, lec. 6.

CAPUT III.

De principiis generalissimis, quæ immediate ex conceptu entis derivantur.

98.—Ex comparatione entis cum se ipso resultat *principium identitatis*, ex comparatione autem entis cum non-ente oritur *principium contradictionis*. De his ergo duobus principiis totidem nunc articulis agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De origine, mutisque relationibus principiorum identitatis et contradictionis.

99.—Comparando ens cum ipso ente invenimus dari necessariam et absolutam identitatem inter utrumque terminum: unde efformamus hoc iudicium: *Ens est ens*, quod vocatur *principium identitatis*. E contra comparando ens cum non-ente videmus ens non esse non-ens; seu esse non posse ut ens, dum est ens, sit non-ens: unde oritur in nobis hoc iudicium: *Impossibile est ut idem possit esse simul et non esse*, quod dicitur *principium contradictionis*.

100.—Si utrumque hoc principium inter se compareremus, facile detegemus ambo non esse nisi unum et idem sub diversa forma enuntiaturum. Primum enim in hoc tandem resolvitur: *Si aliquid est; dum est, non potest non esse id quod est*: quod, ut patet, in re est ipsum principium contradictionis.

101.—Ut ex facta analysi videre licet, in utroque principio involvitur idea temporis; quæ quidem necessaria est ad eorum tam universalitatem quam ve-

ritatem. Sine idea enim temporis non possent ad res temporis subjectas sese extendere aut in illis verificari; cum de re diversis mutationibus subjecta possint contradictoriæ propositiones enuntiari. Sic de *Petro* ex. gr. in diversis temporibus considerato dici cum veritate potest, eum esse *ens* et *non-ens*, *album* et *non-album*, etc.

102.—Hanc temporis ideam voluit Kantius e principio contradictionis expellere, dicens laudatum principium hoc modo exprimendum esse: *Attributum subjecto repugnans illi non convenit*. Verum et principium subjectivismo suo sceptico accommodatum protulit, cum illud de ideis suis mere subjectivis enuntiet; et ideam temporis ab eo minime removet. Principium enim hoc, ni idea temporis per illud exprimatur, falsum omnino erit; cum dentur attributa subjecto alicui uno tempore convenientia et altero repugnantia, ac proinde falsum sit attributum omne subjecto repugnans illi non convenire. Pugna quidem existit inter attributa ipsa, eo quod unum non sit aliud. Sed attributa hæc pugnam suam exercere debent inhærendo subjecto: quod tunc solum non potest recipere unum, quando est alio opposito informatum. Unde, ut verum sit principium a Kantio statutum, debet intelligi hoc modo: *Attributum subjecto repugnans, dum illi repugnat, non ei convenit*: quod manifeste ideam temporis involvit.

103.—Principium Kantianum non habet locum nisi in ordine pure ideali et metaphysico, in quo præscinditur a tempore. Sed principium contradictionis non solum in ordine ideali, sed in reali et physico veritatem continet, ac proinde a tempore in eo præscindi non debet (1).

ARTICULUS II.

De prædictorum principiorum nobilitate atque excellentia.

104.—Principia contradictionis et identitatis ut bases et fundamenta scientiarum omnium haberi debent. Præterea veluti

(1) Cfr. Balmes, *Filosofia fund.* lib. 1, cap. 20.

lydium lapidem nobis subministrant ad discernendum verum a falso: quidquid enim cum illis cohæret, verum est; quidquid autem cum illis pugnat, falsitate laborat. Hegel quidem ea impetere conatus est; sed ejus deliramentis impugnandis immorari non debemus.

Ut nobilitatem horum principiorum declaremus, sequentes propositiones cum P. Cuevas breviter demonstrabimus (1).

PROPOSITIO PRIMA.

Principia contradictionis et identitatis inter prima numeranda sunt.

105.—*Demonst.* Nec principium contradictionis nec principium identitatis ex alio altiori demonstrari queunt; sunt enim universalissima, utpote pro subiecto habentia Ens, quo nihil universalius dari potest. Atqui principium, quod ex nullo alio altiori demonstrari potest, inter prima numerari debet (L. 526). Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Ex solo principio sive contradictionis sive identitatis demonstrari nequeunt omnes veritates menti humanæ perviæ.

106.—*Prænot.* Veritates menti humanæ perviæ triplicis generis sunt: scilicet *metaphysicæ* seu *a priori*, *physicæ* seu *experimentales et mixtæ*. Primæ spectant ad ordinem idealem et ex analysi idearum oriuntur, ut hæc: *Circulus est rotundus*. Secundæ pertinent ad ordinem physicum ac per experientiam noscuntur, ut hæc: *Corpora sunt gravia*. Tertiæ denique utrumque ordinem participant, quia ex una veritate

(1) Cuevas, *Ontologia*, nn. 7-9.

metaphysica et ex altera experementali ope ratiocinii inferuntur.

107.—*Demonst.* Ex nullo e duobus principiis laudatis inferri ratiocinando queunt veritates, sive metaphysicæ, sive experimentales, sive mixtæ. *Non veritates metaphysicæ*: nam in omni demonstratione requiruntur duæ præmissæ indemonstrabiles; principia autem sive contradictionis, sive identitatis, non sunt nisi una ex præmissis prædictis. *Non veritates experimentales*: hæ namque, ut ipsum earum nomen indicat, per solam experientiam noscuntur. *Non denique veritates mixtæ*: quia hæ ex una veritate a priori et altera experimentali inferendæ sunt. Ergo...

PROPOSITIO TERTIA.

Principia contradictionis et identitatis in omnibus veritatibus implicite continentur.

108.—*Demonst.* Veritates objectivæ tali ratione sunt ex se constitutæ, ut in subjecto et prædicato majorem comprehensionem habentibus contineantur subjecta et prædicata, quæ minore comprehensione gaudent. Sic, in hac veritate objectiva: *Anima est incorruptibilis*, continetur hæc alia: *Substantia spiritualis est incorruptibilis*, cujus subjectum minore comprehensione pollet quam *anima*. Sed subjectum et prædicatum principiorum contradictionis et identitatis quam minima comprehensione pollent. Ergo in subjecto et prædicato cujuscumque veritatis objectivæ continentur, ac proinde veritates objectivæ horum principiorum in omnibus aliis veritatibus objectivis implicite continentur.

PROPOSITIO QUARTA.

Principia contradictionis et identitatis primum scientiarum in ordine objectivo principium dici debent non quidem demonstrationis sed præsuppositionis.

109.—*Demonst.*—Et quidem 1.^o *Primum principium dici debent*: quia hæc principia proprie non sunt duo sed unum tantum sub diversa forma propositum (100). 2.^o *Dici debent primum principium in ordine objectivo*; quia in omni prorsus veritate implicite continentur et in omni iudicio implicite affirmantur: unde fit, ut negato quolibet ex illis aut in dubium vocato, omnes prorsus veritates corruant. 3.^o *Non sunt primum principium in ordine demonstrationis*: quia ad hoc oporteret ut omnes veritates ex illis solis demonstrarentur; quod fieri nequit, ut ex supra dictis constat (107). 4.^o *Sunt denique primum in ordine præsuppositionis*: quia in omni demonstratione ut certa supponi debent. Ergo...

110.—SCHOLIUM I.^{um}—Nec principium *ontologicum* contradictionis, nec *logicum* evidentiae, nec *psychologicum* conscientiae, sunt talia, ut ex illis solis inferri queant veritates, quibus scientiae constant. Ontologicum enim est quid abstractum et ab omni veritate determinata præscindens; logicum etiam simplicem aptitudinem cogitationum evidentium, quaecumque eae sint, ad gignendam certitudinem enuntiat; psychologicum denique in meris factis conscientiae quiescit. Singula ergo hæc principia dicenda sunt prima in ordine præsuppositionis non vero demonstrationis.

111.—SCHOLIUM II.^{um}—Doctrina hæc de natura horum principiorum agnoscitur ab ipsis Transcendentalibus, omnes humanæ rationis veritates ex una deducere a priori conantibus. Veritatum enim fontem non reponunt in principiis abstractis contradictionis aut evidentiae, nec in principio conscientiae

phænomenicæ seu experimentalis, sed in re quadam supra omnem experientiam posita et, ut illi dicunt, minime abstracta; qualia putant esse *Absolutum* schellingianum, *Ego* purum Fichtei, Ideam logicam Hegelii et *Ens absolutum* Krausii. In hoc tamen omnes vehementer falluntur. Absolutum enim, *Ego* purum, Idea logica et *Ens* actualissimum, si per hæc omnia *Ens* summum atque omnium aliorum fontem Transcendentales indigitare velint, existunt quidem in re; sed a nobis intuitive non percipiuntur et multo minus identificantur cum nostris ideis subjectivis, quemadmodum hi philosophi absurdissime existimant.

CAPUT IV.

De transcendentalibus Entis proprietatibus.

112.—Omne ens triplici ratione considerari potest: in ordine scilicet vel ad seipsum, vel ad aliquam intelligentiam illius cognoscendi capacem, vel denique ad aliquam voluntatem ad illud appetendum aptam. Hinc vero tres illæ Entis proprietates efflorescunt, *unitas*, *veritas* et *bonitas*; quæ ideo *transcendentales* vocantur, quia omnia prorsus entium genera latissime transcendunt.

De tribus his proprietatibus nunc nobis agendum est. Et quoniam *de oppositis eadem est ratio*, ut dicere amant philosophi; de *multitudine*, *falsitate* et *malitia*, quæ illis respective opponuntur, aliqua etiam dicere oportet.

ARTICULUS PRIMUS.

De unitate ac pluralitate.

In hoc articulo prius notiones quasdam generales præmittemus, deinde vero de elementis unitatem et pluralitatem constituentibus agemus.

§ I. PRÆMITTUNTUR QUÆDAM NOTIONES AD UNITATEM
ET PLURALITATEM SPECTANTES.

113.—*Unum* idem atque *indivisum* sonat. Unde unitas definiri potest: *Indivisio entis a se et divisio a quolibet alio*. Aliqui hanc secundam partem a definitione unitatis excludunt, dicentes unitatem in sola indivisione consistere. Sed horum sententia minime admittenda videtur; in idea enim unitatis utrumque includitur, et quod ens sit indivisum a se et quod sit divisum a quolibet alio. Ideo partes alicujus compositi non concipimus ut entia unitate prædita, nisi quando re vel mente unam ab altera separamus. Divisio autem ad unitatem requisita non est actualis sed aptitudinalis; quia secus Deus tunc solum incepisset esse unus, quando mundus ab eo fuit creatus.

114.—Indivisio entis referri potest vel ad elementa illius constitutiva, vel ad quantitatem materialem. In primo casu indicat absentiam divisionis in essentia alicujus entis, in secundo autem absentiam divisionis in quantitate illius materiali: unde in nullo ex illis ratio unitatis addit *quid positivum* supra rationem entis sed tantum *quid negativum*.

115.—Indivisio essentiæ dicitur *transcendentalis*; quia nullum ens existere potest absque indivisione essentiæ suæ. Hæc autem indivisio est vel *essentialis* vel *simpliciter actualis*; secundum quod essentia indivisa vel partibus caret, vel partes habet ad invicem unitas et *totum* quoddam efformantes. Hinc, cum nullum ens dari queat absque sua essentia indivisa; manifeste sequitur omne ens esse essentialiter unum eo unitatis genere quo sit una ejus essentia. Ex hac vero transcendentali unitate sequuntur in unoquoque ente *identitas et totalitas*: nam omne ens eo ipso quod est unum, est sibi ipsi *identicum* et *totum id* quo ipsum constituitur.

116.—Hæc totalitatis idea haud involvit formaliter partes, sed exprimit totum quoddam absolutum per modum unius confuse perceptum: quod deinde ope analysis in varias partes dividimus, ut singulas melius contemplemur et iterum per synthesim in unum clarius apprehensum jungamus: ut cum quis prius uno obtutu inspicit totam aliquam imaginem, nulla partium distinctione facta; deinde vero in singulis illius partibus oculos defigit, ut eas attentius rimetur; et tandem omnes partes sic singillatim consideratas ad invicem refert, ut ordinem earum introspeciat.

117.—Indivisio quantitatis, qua ens aliquod materiale gaudet, *numerica* vocari solet, eo quod est *principium* numeri: melius autem diceretur *quantitativa*, quia numerus ex rebus etiam non quantis constare valet.

118.—Indivisioni e regione opponitur divisio, ex eaque resultat *pluralitas*; quæ *in diversitate entium consistit*. Nam ea dicuntur esse divisa, *quæ diversitate constant et distinctione*. Porro cum entia divisa in unum quoddam collecta concipimus, tunc ideam *multitudinis* nobis efformamus: quæ quidem *collectio quædam est diversorum entium*. Quod si collectionem hanc inspicimus ut mensuratam per unum quid, quo tamquam mensura, utimur; tunc conceptum *numeri* adquirimus: qui proinde non est aliud quam *multitudo mensurata per unum*.

119.—Hinc multitudo multiplicitati addit rationem *compositionis*, per quam pluralitas reducitur *ad unitatem collectivam*: numerus autem addit multitudini rationem *mensurabilitatis*, per quam indicamus partes alicujus collectionis posse per mensuram quandam omnibus communem successive mensurari.

120.—Unitas numerica *relative* opponitur numero, ut mensura mensurato; unitas autem transcendentalis multitudini *privative*, ut indivisum diviso (1). Mensura enim relationem di-

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 11. art. 2. in 0.

cit ad mensuratum, et divisum carentiam exprimit indivisionis seu unitatis transcendentalis.

121. — Cum multitudo unitati transcendentali privative opponatur, necessario debet esse quoddam unum. Nam privatio est *negatio in subjecto*, ut ait Aristoteles (1); omne autem subjectum est ens et consequenter unum. Hæc unitas, quam formaliter exprimit multitudo, est unitas collectiva; quæ ex diversis unitatibus quantitativis constat (2).

122. — Exinde patet unam eandemque rem et *unam* et *multiplicem* esse simul posse sub diversis respectibus. Quando vero hoc accidit; tunc res, quæ est *simpliciter* una, est *multiplex secundum quid*, et vice versa. Et quidem res quælibet erit simpliciter una, quando unitate vera, aut *indivisibilitatis* aut saltem *indivisionis actualis* constet. Sic et angelus et homo sunt simpliciter uni: quia primus partibus divisibilibus caret, et ita unitate indivisibilitatis donatur; secundus vero partibus substantialiter unitis, licet dissociabilibus, constat et ideo unitate indivisionis constat. Erit autem una secundum quid, quando vera et physica unitate seu indivisione caret; ut ex. gr. *acerbus lapidum*. Unde res quæ sub diversis respectibus una est et multiplex, dicetur simpliciter una et multiplex secundum quid, quando in substantialibus unitatem veram seu actualement indivisionem habet, ut *homo*; vocabitur autem una secundum quid et simpliciter multiplex, cum in substantiis est realiter divisa, v. g. *exercitus*.

123. — Tandem ordo logicus conceptuum, hucusque examinatorum sic se habet. Primo venit conceptus entis, deinde divisionis, deinde unitatis, deinde multitudinis ac denique numeri. Ratio horum omnium ex notione uniuscuiusque constat. Conceptus enim entis abstractissimus est et propter summam suam indeterminationem et imperfectionem nullum alium abstractionem et imperfectiorem præsupponit. Conceptus unitatis,

(1) Aristot. lib. 4. *Metaphys.* text. 4.

(2) Cfr. S. Thom. *loc. cit.* in resp. ad 1.^{um}

utpote negativus, alterum positivum divisionis supponit. Conceptus multitudinis collectionem unitatum divisarum exprimit: unde nonnisi post adquisitionem unitatis transcendentalis ideam in animo gigni potest. Numerus denique, utpote multitudo mensurata per unum, post multitudinem ipsam conceptam percipi debet. Apposite ad hanc rem D. Thomas: «Oportet quod divisio sit prius unitate, non simpliciter, sed secundum rationem nostræ apprehensionis. Apprehendimus enim simplicia per composita: unde definimus punctum, *cujus pars non est*, vel *principium lineæ*. Sed multitudo etiam secundum rationem consequenter se habet ad unum: quia divisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc quod utrique divisorum attribuimus unitatem: unde unum ponitur in definitione multitudinis, non autem multitudo in definitione unius. Sed divisio cadit in intellectu ex ipsa negatione entis; ita quod *primo cadit in intellectu ens, secundo quod hoc ens non est illud ens, et sic secundo apprehendimus divisionem, tertio unum, quarto multitudinem* (1).

§ II. QUENAM SIT NATURA ELEMENTORUM UNITATEM ET PLURALITATEM CONSTITUENTIUM.

124.—Unitas primario per indivisionem constituitur, pluralitas autem per divisionem. Porro indivisio cum identitate confunditur, divisio autem cum distinctione: nam idem est ens aliquod indivisum a se affirmare, ac illud secum ipso identicum asserere; et idem sonat unum ens ab altero dividere atque utrumque inter se distinguere. Frequentius tamen *divisionis* nomen adhibetur ad denotandam *separationem physicam* duarum rerum, et alterum *distinctionis* ad significandam in genere quamcumque separationem, sive physicam, sive mentalem. De identitate ergo et distinctione nunc nobis agendum est.

125.—I. Identitas, ut diximus, *in indivisione entis a se ipso sita est*. Dividitur autem in *absolutam* et *rela-*

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 11, art. 2, ad 4.^{um}
Cfr. Toletus *Comment. in hunc locum*.

tivam. Prima est *indivisio entis a se ipso in aliquo momento temporis considerato*; v. gr. quam ego habeo, dum hæc scribo. Secunda est *indivisio entis a se ipso in diversis temporis partibus inspecto*; v. gr. quam ego habeo mecum ipso, ut existente nunc et viginti abhinc annis.

126.—Identitas absoluta subdividitur in *realem et formalem*. Prima consistit in *indistinctione reali duarum formarum per diversos conceptus inadæquatos a nobis expressarum*; v. gr. quæ datur inter *animalitatem* et *rationalitatem* in homine. Secunda reponitur in *indistinctione reali ejusdem formæ per distinctos conceptus expressæ*; ita ut per unum illorum clarius, per alterum vero obscurius repræsentetur; ut ex. gr. identitas quæ existit inter *animal rationale* et *hominem*.

127.—Identitas relativa subdividitur quoque in *physicam* et *moralem*. Prima locum habet, cum substantia entis alicujus eadem prorsus in diversis temporis partibus perseverat. Talis est identitas *animæ humanæ* in diversis temporis partibus eandem semper substantiam simplicem habentis. Secunda vero in illis entibus existit, quorum substantia continuo renovatur sed censetur eadem moraliter perseverare propter permanentiam ejusdem formæ. Exemplo sit *natura mea physica*, quæ indesinenter mutatur, in existimatione tamen hominum eadem semper durat propter perseverantiam formæ et delineamentorum, quibus ab initio prædita est.

128.—Identitati affinis est similitudo, quæ in *conformitate rerum distinctarum consistit*. Similia enim dicuntur, quæ *conveniunt in eadem forma*. Similitudo autem et *perfecta* et *imperfecta* esse potest. Est perfecta, quando forma eodem modo; et imperfecta, quando diverso modo a rebus similibus participatur. Præterea forma, in qua fundatur similitudo, potest esse

vel *substantialis* vel *accidentalis*. In primo casu res similes erunt vel ejusdem *generis* vel ejusdem *speciei*; secundum quod similitudo perfecta ex illa resultans sit *generica* vel *specifica*. In secundo autem res dicuntur vel *simpliciter similes*, vel *æquales*; prout forma illa accidentalis fuerit *qualitas* vel *quantitas*. Sic duo *metalla* ejusdem coloris dicuntur *similia*, et duo ejusdem voluminis appellantur *æqualia*.

129.—II. *Distinctio* est *separatio unius rei ab alia*; estque vel *realis* vel *rationis* seu *logica*. Prima est illa *quæ existit in rebus ante operationem intellectus*; v. gr. *distinctio inter corpus et animam*. Secunda vero est ea, *quæ existit in rebus, prout a nobis conceptis, seu in cogitationibus nostris quibus unam et eandem rem diverse apprehendimus*; v. gr. *distinctio inter animalitatem hominis et ejus rationalitatem*.

130.—Ambæ iterum dividuntur; et prima quidem in *substantialem* et *accidentalem*, secunda vero in *virtualem* et *pure logicam*. Substantialis inter duas substantias versatur; accidentalis inter duo accidentia aut inter accidens et substantiam: quod si accidens est quidam modus, distinctio accidentalis dicitur *modalis*. Virtualis est ea, *quæ in ipsis rebus fundamentum habet*; atque ideo dicitur *rationis ratiocinatæ*: estque *major* vel *minor*, secundum quod conceptus inadæquati circa eandem rem versantes formaliter se excludant vel includant. Denique *pure logica* est illa, *quæ non habet fundamentum in ipsis rebus, sed in imperfecto nostro modo eas concipiendi*: unde recte dicitur *rationis ratiocinantis*. Sic inter *animal* et *rationale* est distinctio rationis ratiocinatæ major in homine; quia homo actibus suis *sensitivis* et *discursivis* præbet nobis fundamentum ad concipiendum illum sub his conceptibus, qui ad invicem non se includunt. E contra distinctio inter attributa Dei est virtualis minor: quia licet Deus diversis effectibus suis det no-

bis fundamentum ad concipiendum in eo *justitiam, misericordiam, sapientiam, potentiam*, etc.; tamen in conceptu explicito unius attributi involvuntur implicite cetera omnia (L. 36). Tandem inter *hominem* et *animal rationale* non datur nisi distinctio pure logica seu rationis ratiocinantis; quia tota ratio illam faciendi desumitur ex imperfecto nostro modo res concipiendi, per conceptus scilicet prius confusos et deinde distinctos.

131.—Inter distinctionem realem et logicam conatus est Scotus alteram *mediam* constituere, quæ minor reali sit et major logica, quæque *formalis ex natura rei* ab eo vocata est. Verum hæc distinctio prorsus rejicienda videtur, cum inter reale et logicum nullum detur medium. Fundatur quidem Scotus in eo quod ante operationem intellectus nostri distinguitur Dei misericordia ab ejus justitia, quoniam intellectus noster distinctionem harum duarum *formalitarum* non facit sed invenit. Verum si quid valeret hæc ratio; probaret multo plus quam ipse intendit, Dei scilicet attributa realiter distingui inter se. Dicendum ergo ante operationem intellectus nostri dari in Deo reale fundamentum ad concipiendum illum sub diversis conceptibus inadæquatis, sicut et in aliis multis rebus; ac proinde distinctionem scotisticam non esse proprie *mediam* inter realem et logicam, sed mere logicam cum fundamento in re, seu virtualem. *Analogice* tamen *realis* bene vocari potest; quia, prout virtualis est, vere a parte rei existit.

132.—Distinctioni affines sunt *differentia* et *diversitas*: vel potius hæc duæ res duæ distinctionis species sunt vocandæ. Differentia proprie loquendo est *illa nota vel collectio notarum, qua una species ab alia distinguitur*: diversitas vero est *illud per quod unum genus ab alio differt*. Verum ordinarie hæc tria nomina indiscriminatim sumuntur ad quodvis distinctionis genus significandum. Denique, cum duæ res distinguuntur inter se quoad essentiam, dicuntur *essentialiter diversæ*, cum vero quoad quantitatem, *inæquales*; cum denique quoad qualitatem, *dissimiles*.

ARTICULUS II.

De diversis unitatis speciebus.

133.—Diximus supra unitatem in *realem* et *logicam* dispe-
sci. Jam vero utraque in alias duas subdividitur, de quibus to-
tidem paragraphis in præsentē articulo nobis agendum est:
realis enim alia *individualis*, alia *formalis* seu *essentialis* est;
logica vero *universalis* vel *collectiva*.

§ I. QUID SIT UNITAS INDIVIDUALIS.

134.—Individuum seu singulare dicitur illud, *quod*
dispe- sci nequit in plura talia, quale ipsum est. Sic *Pe-*
trus ex. gr. est individuum, quia dividi nequit in plu-
res Petros: item *hoc cubiculum* est individuum, quia
dividi nequit in plura cubacula talia, quale illud est.

135.—Hinc unitas individualis est *ea, quæ pluribus*
communicari nequit. Sic unitas mea individualis mihi
soli convenit et nulli alii communicari potest. Contra-
rium prorsus accedit unitati universali; quæ in pluribus eadem
inveniri valet, cum universale sit *unum in multis*. Sic *huma-*
nitas ex. gr. est in *Petro, Paulo, Joanne*, etc; quia omnes sunt
homines et æque participant rationem humanitatis. Quæ circa
naturam unitatis individualis dicenda sunt, sequentibus propo-
sitionibus exponentur.

PROPOSITIO PRIMA.

Omne quod existit, singulare est et individuum.

136.—*Demonst.*—Quidquid existit, habet certam et
determinatam entitatem. Sed omnis talis entitas est
necessario indivisibilis in plures, quæ tales sint, qua-
lis ipsa est: quia secus «tota illa entitas esset in sin-
gulis; et consequenter, ut est in una, divideretur a se

ipsa, prout est in alia; quod manifestam involvit repugnantiam (1)». Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

*Unitas individualis est quid positivum
unitati universali superadditum; et ratione tantum
ab illa in unoquoque individuo distinctum.*

137.—*Prænot.*—Propositio continet duas partes. In prima dicimus contra Nominales unitatem prædictam esse quid positivum unitati universali superadditum; in secunda vero asserimus contra Scotum et alios hoc positivum nonnisi ratione distinguì a natura, quæ dicitur universalis, quæque cum unitate individuali componit individuum. Loquimur autem de unitate individuali creata; nam in Deo individualitas naturæ est de ejus essentia ac proinde non habetur metaphysica compositio ex natura universali et unitate individuali. Præscindimus etiam in hac thesi a natura angelica; quia nondum loquuti sumus de principio individuationis, ex cujus natura dependet quod in angelo detur vel non compositio metaphysica prædicta.

138.—*Prob. 1.^a p.*—Natura omnibus individuis aliqujus speciei communis et in illis existens non postulat ex se ut unum individuum sit realiter distinctum ab alio. Ergo in unoquoque individuo dari debet, præter naturam communem, aliquid reale et positivum, quod fundet realem illam distinctionem; nam omne negativum fundari debet in aliquo positivo. Sed illud in quo individualis distinctio fundatur et propter quod unum individuum dicitur non esse aliud, est unitas seu differentia individualis, quæ alio nomine vocatur *hæcceitas*. Ergo unitas individualis est quid positivum naturæ communi in unoquoque individuo superadditum.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 5, sect. 1, n. 4.

139.—*Prob. 2.^a p.*—Hæc constabit ex dicendis in sequenti paragrapho contra eundem Scotum.

Solvuntur difficultates.

140.—Obj. I. Nihil potest intelligi reale, quod singulare non sit, ut constat ex præcedente propositione. Ergo natura individuorum, ex hoc solo quod supponatur existens et absque additione alterius entitatis, jam intelligitur singularis.

Resp.—*Conc. ant. et dist. cons.* Ergo natura individuorum ex hoc solo quod supponatur existens, et absque additione alterius entitatis *ab illa realiter distinctæ*, jam intelligitur singularis, *Conc.*: absque additione alterius entitatis *ab illa virtualiter distinctæ*, *Neg.* Absque additione differentię individualis, quæ virtualiter distinguitur a natura omnibus individuis ejusdem speciei communi, natura hæc non concipitur in individuis existens.

141.—Obj. II. Nulla res fieri potest una per additionem alicujus positivi sed per solam negationem: ergo nec singularis, quia singularitas est quædam species unitatis.

Resp.—*Conc. ant. et dist. cons.* Nulla res fieri *formaliter* potest singularis nisi per negationem, *Conc.*: *fundamentaliter*, *Neg.* Singularitas formalissime in negatione divisionis in plura ejusdem rationis consistit, quod est quid negativum. Sed negativum hoc debet fundari in aliquo positivo individui exclusive proprio, quod est differentia individualis.

142.—Obj. III. Si differentia individualis foret aliquid positivum, unum individuum ab altero essentialiter differret; quia hoc positivum realiter identificatur cum essentia. Sed individua ejusdem epeciei in eadem essentia conveniunt. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.* Si differentia individualis foret quid positivum, unum individuum ab altero differret essentialiter *essentialitate physica*, Conc.: *essentialitate metaphysica*, Neg. Essentialitate metaphysica non conveniunt individuis alicujus speciei nisi notæ specificæ, quæ constituunt illorum naturam abstracte conceptam et sub hac abstractione omnibus communem. Ergo solum essentialitate physica seu per essentialitatem singularitatem contractam, quæ unicuique propria est, potest unum individuum ab altero ejusdem speciei differre (1).

PROPOSITIO TERTIA

*Principium individuationis physicum
in quolibet ente est natura integra, qua ipsum constat
et physice existit.*

143.—*Prænot.*—Est contra Thomistas dicentes principium individuationis in rebus materialibus esse *materiam signatam* quantitate determinata et ceteris accidentibus, quibus in unoquoque individuo afficitur; et exinde inferentes angelos, utpote materia destitutos, tot species distinctas constituere, quot sunt individua. Dicimus autem *principium individuationis physicum*; quia principium metaphysicum in sola materia aut quasi materia reponi debet, quando sermo est de entibus finitis. Nam in consideratione metaphysica materia, utpote primum subjectum formarum, exhibetur nobis ut primum existens in se, ac proinde ut prima radix *individuationis* in ente ex materia composito; forma vero, utpote actus primus materiæ, objicitur nobis ut fons omnium virium entis, ac proinde ut prima radix *specificationis* individui.

144.—*Demonst.*—Illa sunt principia individuationis physica, quæ sunt principia intrinseca entitatis physicæ. Nam individuatione sequitur entitatem, ut est negatio quædam; et ut inclu-

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 5.^a sect. 1.^a et 2.^a

dit quid positivum, est entitas ipsa existens ex se ipsa indivisibilis in alias entitates tales, qualis ipsa est. Sed principia intrinseca entitatis physicae individuorum sunt integra natura ipsorum. Ergo...

145.—COROLLARIUM.—Ergo nulla repugnantia est in eo quod plures angeli, licet immateriales, pertinere possint ad eandem speciem. In illis enim, non secus ac in rebus corporeis, principium physicum individuationis est integra ipsorum natura; quæ pariter et metaphysice pluribus communis optime concipitur propter similitudinem perfectionis in suis virtutibus operativis, et physice ad plura individua contracta propter singularitatem uniuscujusque propriam. Nam in angelis etiam suppositum et natura metaphysice discriminantur, ac proinde potest dari compositio metaphysica ex natura pluribus communi et supposito unicuique proprio.

Solvuntur difficultates.

146.—Obj. I. Forma est principium specificationis in entibus; *Petrus* enim ex. gr. est *homo* propter animam humanam, quæ est ejus forma. Sed principium specificationis nequit esse principium individuationis; cum hæc distinguat unum individuum ab alio sub eadem specie. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Forma *abstracte concepta* est principium specificationis, Con.: *concrete et in individuo sumpta*, Neg. Forma abstracte concepta exhibet naturam rei; concrete autem sumpta constituit *hanc* naturam singularem, quæ in plures ejusdem rationis indivisibilis est.

147.—Obj. II. Materia, utpote pura potentia formarum receptiva, non est alteri communicabilis: forma vero, utpote actus materiæ, est alteri communicabilis. Ergo ratio incommunicabilitatis seu individualitatis individuo advenit ex materia, non vero ex forma.

Resp.—*Dist. ant.*—Materia non est alteri communicabilis *per modum actus*, Con. *per modum potentiæ*, Neg. Deinde *dist. cons.* Ratio incommunicabilitatis individuo advenit *metaphysice* ex sola materia, Con.: *physice*, Neg. Tam communicabilis est per modum potentiæ et subjecti materia, quam forma per modum actus: quia sicut forma potest actuare di-

stinctas materias, ita materia potest subesse distinctis formis. Præterea tam materia quam forma in abstracto consideratæ sunt incapaces aliquid individuandi; quia sic non exprimunt nisi naturam ab individuis præcisam: et tam forma quam materia in concreto spectatæ sunt principia individuantia ens ex illis compositum. Proinde materia nihil habet præ forma nisi hanc rationem pure metaphysicam, quod sit primum subjectum formarum ac proinde antonomastica radix individuationis. Atque hoc forte est quod unice exprimere voluit Angelicus Doctor in *Summa Theologica* (1. p. q. 3, art. 2, ad 3.^{um}), dicendo materiam, utpote primum subjectum formarum, esse principium individuationis in entibus materialibus. Nam alias (1. p. q. 29, art 4) expressis verbis fatetur animam simul et corpus esse principia formaliter hominem individuantia (1).

§ II. QUÆNAM SIT NATURA UNITATIS FORMALIS.

148.—Unitas formalis seu essentialis est illa, *qua individua pertinent ad aliquam speciem determinatam et ab omni alia distinctam*. Existentia hujus unitatis est per se evidens: nam ante omnem actum mentis meæ est verum me ex. gr. esse *hominem* et non *belluam* aut *lapidem*, ac proinde me habere naturam specificam humanam ab omni alia distinctam. Sola ergo ejus essentia investiganda est.

149.—Scotus et alii post eum existimarunt inter hanc unitatem et individualitatem dari distinctionem ex natura rei formalem, seu majorem logicā et minorem reali: ad quod probandum omnia illa argumenta attulerunt, quibus Platonicī *formas suas per se subsistentes* ostendere conabantur, quæquæ hodierni Krausistæ in favorem doctrinæ suæ pantheisticæ adducunt, insanissime contententes essentias finitas non esse nisi determinationes et limitationes Essentiæ infinitæ seu Dei. Verum hæc sententia omnino rejicienda est et contraria ejus tenenda, quæ sequenti thesi continetur.

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 5.^a sect. 3.^a, 4.^a, et 5.^a

PROPOSITIO

*Unitas formalis nonnisi ratione distinguitur
ab individuali.*

150.—*Demonst.*—1.° Si humanitas in me existens plus quam ratione distingueretur a mea individualitate; ego duobus elementis intrinsece constituerer, altero omnibus hominibus communi et altero mihi exclusive proprio: quorum primum idem prorsus numero in omnibus individuís speciei humanæ existeret, et secundum in me solo. Sed humanitas in me existens est mihi tam exclusive propria quam mea individualitas. Ergo... Major clara est et ab adversariis admittitur. *Probatur ergo minor.* Humanitas in me existens, vere et realiter existit in me et est quid proprie meum. Sed quod realiter existit in me et est proprie meum, non potest esse alterius: nam quatenus existens, est singulare et non pluribus communicabile; et quatenus meum, est constitutivum meæ singularitatis. Ergo... 2.° Si natura specifica in me existens esset eadem numero in omnibus hominibus, animalitas in me reperta esset eadem numero in omnibus animalibus, vita in omnibus viventibus et entitas in omnibus entibus; quia ego non solum sum rationalis, sed etiam animal, et vivens et ens. Sed hoc est absurdum; quia sic proprie non daretur nisi unum ens diversis determinationibus affectum, prout volunt Pantheistæ. Ergo... 3.° Si humanitas in me existens est vere a parte rei eadem numero in omnibus hominibus, idem dicendum erit de singularitate mea: quia sicut omnes convenimus in eo quod sumus homines, etiam convenimus in eo quod sumus singulares. Sed hoc minime dici potest, etiam in sententia

Scoti; quia sic illud ipsum quod est formaliter multis incommunicabile, foret illis simul communicabile. Ergo...

Solvuntur difficultates.

151.—Obj. I. Naturæ specificæ vere existunt in individuis cum sua unitate propria et præcisa a singularitate: nam circa illas versantur scientiæ et definitiones. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.* Vere existunt in individuis cum sua unitate propria *solum ratione distincta a singularitate*, Conc.: cum sua unitate propria *plus quam ratione distincta a singularitate*, Neg. Ad probat. *dist. assert.* Scientiæ et definitiones versantur circa naturas específicas *mente præcisas a singularitate cum fundamento desumpto ex ipsis objectis*, Conc.: circa naturas has *plus quam ratione præcisas a singularitate*, Neg. In individuis singularitas virtualiter distinguitur a natura, et hoc sufficiens est ut mens possit uno conceptu sibi repræsentare illorum naturam et altero singularitatem.

152.—Obj. II. In omnibus individuis ejusdem speciei inveniuntur quædam proprietates communes necessario promanantes ab essentia. Ergo signum est in omnibus etiam inveniri eandem essentiam.

Resp.—*Dist. ant.* Inveniuntur quædam proprietates *ratione communes*, Conc.: *re aut plus quam ratione communes*, Neg. Deinde *dist. cons.* Signum est in omnibus individuis inveniri eandem *ratione essentiam*, Conc.: eandem *re aut plus quam ratione*, Neg. In individuis re non datur nisi *similitudo maxima naturæ*, quæ nobis præbet fundamentum ad illa apprehendenda sub conceptu specifico omnibus communi. Hinc a parte rei tot sunt naturæ distinctæ, quot sunt individua.

153.—Obj. III. Si individualitas realiter non differet a natura, esset de ejus essentia; ac proinde foret quid æternum et necessarium ut ipsa essentia. Sed hoc admitti nequit; quia sic individua ab æterno necessario existerent. Ergo.

Resp.—*Dist. 1.^{am} p. maj.* Esset de essentia *physica* naturæ, Conc.: de essentia *metaphysica* seu de ejus *notione*, Neg. Individualitas est *extra conceptum* humanitatis Petri, non autem extra ipsam naturam Petri, cum qua realiter identificatur. Deinde *dist. 2.^{am} p. ant.* Foret quid æternum et necessarium *sicut ipsa natura, negative scilicet et mera non-repugnantia essendi*. Conc.: *Aliter*, Neg. Et *contrad. min. neg. cons.* Naturæ seu essentiæ rerum non habent esse aliquod physicum æternum extra aut intra Deum, sed sunt quid mere objectivum et potentiale, ut supra ostensum est (20). Idem ergo dicendum est de singularitate cujusque individui.

154.—Obj. IV. Ante omnem operationem intellectus verum est essentiam omnibus individuis ejusdem speciei esse communem et individualitatem singulis esse propriam. Ergo essentia differt plus quam ratione a singularitate in individuis.

Resp.—*Dist. ant.* Ante omnem operationem intellectus verum est essentiam omnibus individuis esse communem *fundamentaliter*, Conc.: *formaliter*, Neg. Ante omnem operationem intellectus similitudo entitatis substantialis, quæ in omnibus individuis ejusdem speciei invenitur, præbet ex se fundamentum ut mens nostra possit conceptibus inadæquatis et abstractis sibi repræsentare eorum essentiam *ut omnibus communem* et singularitatem *ut singulis propriam*. Ideo ante omnem mentis nostræ operationem non datur in individuis nisi *fundamentaliter*, et communitas *formalis* non invenitur in illis *nisi ut mente conceptis*.

§ III. QUÆNAN SIT NATURA UNITATIS UNIVERSALIS.

155.—Universale, ut ipsum nomen dicit, est *unum versus multa*. Ideo definiri solet: *Unum in multis et unum aptum ut de multis prædicetur*. Conceptus universalis est formaliter relativus, quia dicit formalem et expressam relationem alicujus rationis abstractivæ et præcisivæ conceptæ ad inferiora, quæ sub illa continentur et de quibus prædicari valet. Hæc ipsa ratio abstracta, modo quodam absoluto et ad sua inferiora minime relato concepta, dicitur *unitas formalis*, de qua in præcedente paragrapho loquuti sumus. Unde inter unitatem formalem et universalem non datur ulla distinctio ratione objecti abstracte concepti, cum utraque exprimat idem objectum sub forma quadam absoluta vel relativa; sed tantum ratione modi ejusdem objecti, quatenus unitas formalis exhibet quamdam naturam simpliciter precisam a suis inferioribus et absque ulla relatione ab illa, unitas vero universalis exprimit hanc ipsam naturam sic præcisam ut ad sua inferiora relatum.

156.—Unitas formalis dicitur *universale absolutum* et *directum*: *universale* quidem, quia in se est abstracta ope intellectus a singularibus et propter hanc suam abstractionem est ex se apta ut prædicetur de multis: *absolutum* vero, quia nihil dicit de singularibus, sed ab illis omnino præscindit, ea nec includens nec excludens: *directum* denique, quia precisionem hanc suam objectivam acquirit unitas prædicta *ope abstractionis naturalis et spontaneæ*, quæ actus quidam directus est (L. 40). Unitas autem universalis appellatur *universale relativum* et *reflexum*: *universale*, quia est unum in multis: *relativum*, quia est actu ad sua inferiora relatum: *reflexum*, quia *per reflexionem ontologicam*, qua supra universale directum libere reflectimus, in mente efformatur. De natura ergo hujus universalis reflexi sermo nunc a nobis habendus est.

157.—Circa illius existentiam diversimode opinati sunt philosophi. Quidam enim illam absolute negaverunt et in rebus, et in ideis, et in ipsis nominibus. Alii eam nonnisi in nominibus admiserunt, idcirco *Nominales* dicti: alii in solis nominibus

et conceptibus, hac de causa *Conceptualistæ* vocati: alii et in nominibus, et in conceptibus et in rebus, ideo *Realistæ* nuncupati. Hi rursus in duas classes dispartuntur. Nam alii *realismum moderatum* sequuntur, in rebus nonnisi universalitatem *virtualem* ponentes, quæ *fundamentum* intellectui nostro præbeat ad illas apprehendendas sub conceptibus formaliter universalibus; alii vero universalitatem *formalem* in ipsis rebus statuunt, *realismum exaggeratum* amplexati.

158.—Defensores secundi hujus realismi triplicis generis sunt. Quidam enim Platonici opinati sunt universalia esse quasdam res in se ipsis subsistentes et a rebus singularibus separatas, hasque ab illis veluti sponte sua atque emanatione quadam procedere. Unde juxta hos *pulchritudo* ex. gr., *bonitas*, *veritas*, *humanitas*, etc., sua universalitate formali in se ipsis subsistunt; atque ex illis singula individua pulchra, bona, vera, humana, etc. originem ducunt. Hæc sententia ab Aristotele magistro suo Platoni tributa fuit: attamen, ut multorum fert opinio, Plato rationes has universales in mente tantum divina ab æterno subsistentes reposuisse dicendus est.

159.—Secunda Realistarum exaggeratorum classis tenet cum Pantheistis, Neoplatonicis, Jordanoque Bruno et Almari-co, genera et species rerum esse determinationes quasdam Essentiæ divinæ, Deumque proinde esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituit rerum universitatem in genera, species et individua distinctam. Quam quidem sententiam Patres Concilii Vaticani ut hæreticam jure optimo damnarunt.

160.—Tertia denique Realistarum exaggeratorum classis ad quosdam Scholasticos pertinet; qui universalia, ut talia, in rebus ipsis constituebant, individuaque ejusdem speciei per solam unitatem individualem realiter essentiæ superadditam inter se differre asserebant. Aliqui tamen ex his forte nonnisi in modo loquendi a Realistis moderatis discrepabant: distinctionem namque inter unitatem individualem et universalem non realem, sed scoticam statuebant: quæ quidem, ut supra ostendimus, virtualiter realis et logica cum fundamento in re appellanda est.

161.—Quod de his Scholasticis dicimus, id de Nominalistis et Conceptualistis Suarezius sapienter observat, scribens eos

«in re fortasse non dissidere a vera sententia, solumque reprehensionem mereri quoad quosdam modos loquendi» (1). Non idem tamen sentiendum est de Kantio: is enim, Nominalium et Conceptualistarum doctrinis abutens, ideas nostras ut *formas mentis pure subjectivas et objectis* omnino vacuas habuit et realismum quemvis, quantumvis moderatum, temere de medio sustulit.

Ut igitur in re tanti momenti debito ordine procedamus, primum falsas sententias refellemus, deinde vero sanam et ab omnibus tenendam sequentibus propositionibus tueri conabimur.

PROPOSITIO PRIMA

*Vera et formalis universalitas tum in nominibus,
tum in conceptibus agnosci debet.*

162.—*Prob. 1.^a p.*—Dantur nomina quædam abstracta, quæ omnibus individuis ejusdem speciei eodem prorsus modo applicantur; cujus rei testes sunt quotquot vocabularia diversis gentium linguis scripta inveniuntur. Sed nomina hujusmodi in ratione significandi sunt vere et formaliter universalia. Ergo universalitas vera et formalis in nominibus agnoscenda est; seu quod idem est, nomina hæc sunt vere universalia *in significando*.

163.—*Prob. 2.^a p.*—Conceptus abstracti per nomina prædicta significati applicantur pariter ad repræsentanda quælibet individua realia ad eandem speciem pretinentia. Ergo ut vere et proprie dicti universales *in repræsentando* haberi debent.

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 6, sect. 2, n. 1.

Solvitur quædam difficultas.

164.—Tam nomina omnia quam conceptus exprimunt quasdam individuorum collectivitates. Ergo non sunt proprie dicta universalia.

Resp.—*Dist. ant.* Tam nomina omnia quam conceptus exprimunt quasdam individuorum collectivitates *in sensu sive distributivo sive colectivo*, Conc.: *in sensu colectivo et non alio*, Neg. Hinc *sub data distinctione nego consequentiam*. Objectio hæc fundatur in confusione conceptuum collectivi et distributivi: sed infra ostendetur hos duos conceptus toto cœlo distare inter se.

PROPOSITIO SECUNDA.

*Naturæ quas dicimus universales, sunt reales
et in rebus existunt.*

165.—*Demonst.*—Cum res definimus aut demonstramus, non quidem conceptus nostros, sed res ipsas per conceptus repræsentatas definire intendimus ac demonstrare. Unde scientiæ et demonstrationes sunt de rebus, non autem de nostris conceptibus subjectivis. Sed definitiones et demonstrationes versantur circa naturas, quas dicimus universales. Ergo hæ naturæ debent esse reales et in rebus existere. Alias nostra ratio sponte sua esset inclinata ad efformandum sibi ideas objectis vacuas et ad versandum inter perpetuas illusiones subjectivas; cum omnes homines sponte naturæ feramur ad faciendas hujusmodi definitiones et demonstrationes de mundo externo extra nos posito. His adde subjectivismum kantianum jam in Logica a nobis refutatum fuisse (L. 366): unde conceptualismus Kantii, qui in negandis his na-

turis totus versatur, ut doctrina omnino falsa et ruinosa ab omnibus haberi debet.

PROPOSITIO TERTIA.

Naturæ, quas dicimus universales, non subsistunt in se ipsis extra individua.

166.—*Demonst.*—1.° Quod nos definimus aut demonstramus, non est quid extra res singulares positum sed in ipsis existens. Non enim extra has res fertur mens nostra, quum suas definitiones et demonstrationes instituit, sed ad ipsas in mundo existentes et abstracte conceptas se convertit. Ergo hæ naturæ non subsistunt in se ipsis extra individua, sed in ipsis individuis et cum illis realiter identificantur. 2.° Si naturæ prædictæ subsisterent extra individua, non possent illa per se intrinsece constituere: nihil enim intrinsece constitui potest per aliquid realiter a se distinctum et extra se positum. Sed hæ naturæ intrinsece constituunt unumquodque individuum ad illas pertinenens; nam universale est *unum in multis* ac proinde quid intrinsece constituens singula ex his multis, in quibus est. Ergo... 3.° Natura universalis, utpote unum ex elementis individua constituentibus, debet esse in illis et cum eis realiter identificari (139, 150). Ergo... 4.° Si naturæ hæ ponantur in se ipsis extra individua subsistentes; dicere debemus subsistere hoc modo in se, non solum hominem et animal, sed etiam quantitatem, qualitatem, modum, etc.: siquidem quantitas, qualitas et modus sunt quædam naturæ universales. Sed hoc nonnisi absurdissime dici potest: Ergo... (1).

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 6, sect. 2.

PROPOSITIO QUARTA.

*Naturæ, quas dicimus universales,
in se ipsis sunt singulares; vocanturque universales
denominatione a nostris conceptibus desumpta.*

167.—*Prob. 1.^a p.*—Hæ naturæ sunt reales et in rebus existunt (165). Sed naturæ existentes non distinguuntur ab individuis, in quibus existunt (139, 150). Ergo...

168.—*Prob. 2.^a p.*—Naturæ prædictæ, utpote in se singulares, nonnisi denominatione extrinseca appellari possunt universales. Atqui denominatio hæc illis advenit ex modo abstractivo et præcisivo, quo illas concipit noster intellectus. Hic enim, propter innatam suam vim abstractivam, res mundi externi conceptibus præcisivis et a notis individuantibus abstractis naturaliter apprehendit: quo fit, ut res, quatenus apprehensæ et in intellectu existentes, vera universalitate donentur. Ergo...

PROPOSITIO QUINTA.

Naturæ singulares similitudine sua intrinseca fundamentum intellectui nostro præbent, ut eas apprehendat sub conceptibus universalibus: unde virtualiter universales in essendo dici debent.

169.—*Prob. 1.^a p.*—Ratione similitudinis maximæ inter naturas singulares individuorum intercedentis, naturæ hæ redduntur aptæ, ut eas intellectus noster conceptibus præcisivis et universalibus apprehendat ac de illis cum veritate judicet eamdem de pluribus individuis naturam prædicando. Sine hac enim similitudine non daretur ratio ex parte objecti cur potius

una natura abstractive et universaliter concepta prædicari possit de quibusdam individuís potius quam de aliis. Ergo naturæ singulares similitudine sua intrinseca fundamentum intellectui nostro præbent, ut eas sub conceptibus universalibus apprehendat.

170.—Notandum tamen hanc similitudinem solam minime sufficere ad formationem conceptuum universalium, sed præter hanc requiri etiam vim naturaliter abstractivam et præcisivam ex parte nostri intellectus. Similitudo enim non dicit ex se unitatem aptam ad existendum in multis sed pluralitatem rerum participantium eandem formam. Ergo universalitas formalis ex ipsa natura intellectus vi sua innata per conceptus præcisivos et inadæquatos apprehendentes provenire debet; similitudo autem prædicta non est nisi quoddam veluti incitamentum objectivum, ut intellectus noster concipere res possit modo suo universali et prædicata sic concepta de illis affirmare.

171.—*Prob. 2.^a p.*—Naturæ singulares ratione suæ intrinsecæ similitudinis fundamentum præbent intellectui nostro, ut eas conceptibus præcisivis et a singularitate abstrahentibus apprehendat. Atqui in hoc præcise consistit universalitas virtualis; siquidem, juxta superius dicta de distinctione virtuali (130), hæc habetur, quoties datur ex parte objecti fundamentum ad illud apprehendendum sub diversis conceptibus formalibus.

172.—*SCHOLIUM.*—Ut supra observatum est (156), universale aliud est *absolutum* aliud vero *relativum*. Primum habetur *mediante abstractione spontanea* nostri intellectus apprehendentes naturas singulares abstrahendo ab illarum singularitate; secundum vero efformatur *mediante comparatione* universalis absoluti cum singulis individuís, ad quæ referri potest. Proinde primum sine ulla comparatione concipitur ab intellectu sub forma quadam absoluta, secundum vero cum expressa comparatione sub forma quadam relativa: primum prius efformatur quam secundum: quia mens non potest hoc secundum concipere nisi comparando per reflexionem ontologicam illud primum cum individuís concretis.

173.—Hinc patet errasse Lockium, dicendo omnes conceptus nostros universales efformari per comparisonem unius individui cum altero. Universale enim directum absque ulla prorsus comparatione fit per solam vim naturaliter abstractivam nostri intellectus. Imo sine hac efformatione spontanea universalis absoluti nec ipsum universale relativum concipi ab intellectu posset comparando unum individuum cum altero. Nam ad hoc ut efformetur hoc universale relativum, debet comparare mens naturam abstracte conceptam cum singularibus concretis; quod quidem conceptum hujus naturæ absolutum jam efformatum supponit.

Solvuntur difficultates.

174.—Obj. I. Si intellectus sua abstractione spontanea tribueret rebus singularibus denominationem extrinsecam universalitatis, ipse sibi crearet objectum suum. Sed hoc repugnat: intellectus enim supponit objectum suum, et illud non facit. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Ipse sibi crearet *secundum quid* objectum suum, Conc.: *simpliciter*, Neg. Intellectus abstractione sua spontanea dat objecto suo *novum modum essendi abstractum*, quem in se non habet; et ita creat sibi secundum quid objectum suum. Sed objectum hoc simpliciter non facit, quia illud a parte rei supponit. Naturæ namque, quas vocamus universales, quæque constituunt objectum intellectus, sunt reales et in rebus existunt (165).

175.—Obj. II. Abstractio hæc spontanea est quidam actus cæcus intellectus; cum sine ulla cognitione objecti prævia separet mens naturam individuum ab eorum singularitate. Ergo prorsus rejicienda est.

Resp.—*Neg. ant.*—Nam abstractio prædicta est vera cognitio objecti, quamvis abstractiva et præcisiva. Ad ration. additam *negatur assertum*. Mens enim, antequam intellectu abstracte concipiat rem aliquam,

jam illam cognoscit per sensus. Nec ad separationem prædictam faciendam opus est, ut prius cognoscat objectum ipse intellectus. Separatio enim hæc est modus cognoscendi naturalis ipsius; ac proinde, sicut *oculus* v. gr. primo suo actu cognoscitivo naturaliter apprehendit in pomo colorem præscindendo a cæteris illius qualitatibus; ita intellectus, absque ullo actu prævio, naturaliter concipit naturam ipsius pomi abstraendo ab ejus singularitate.

176.—Obj. III. Intellectus faciendo abstractionem memoratam naturaliter erraret; quia tribueret objecto extrinseco universalitatem, quam in se non habet. Ergo...

Resp.—*Neg. ant. cum ejus probatione.*—Intellectus enim objecto extrinseco universalitatem actus sui subjectivi propriam minime tribuit; sed naturam tantum illius abstractive apprehendit, quæ realiter ei competit.

177.—Coronidis loco fontem notare liceat, ex quo omnes errores hac in re promanarunt; qui non in alio reponi debet nisi in eo quod idem modus essendi fuerit tributus objecto *extra* atque *intra* intellectum. Huic enim principio inhærentes Nominales concluderunt non dari universalitatem in conceptibus, quia nulla in rebus est; dum e contra Platonici et Realistæ exaggerati dixerunt res esse formaliter universales, quia tales sunt conceptus nostri illas repræsentantes. Omnino autem tenendum est res alium modum essendi habere in intellectu, et alium extra illum: hoc enim evidenter sequitur ex illo axioma: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.* Hinc in intellectu nostro res sunt abstractæ a singularitate, quia hoc postulat modus essendi illius: in se ipsis autem sunt in sua singularitate concreta, quia hoc est proprium cujuscunque rei extra intellectum existentis.

§ IV. QUID DICENDUM DE UNITATE COLLECTIVA.

178.—Unitas collectiva est secunda illa species unitatis logicæ, quam supra recensuimus (133); estque vera et realis plu-

ralitas (118). Porro unitas hæc a nobis concipitur, cum pluralia consideramus tamquam realiter inter se divisa et in collectionem conjuncta.

179.—Ad hujus unitatis possibilitatem requiritur, ut detur et pluralitas entium et aliqua similitudo inter illa. Ratio est: quia collectio nonnisi plurium est in una quadam ratione communi convenientium; hæc autem ratio communis ex parte objectorum distinctorum aliquam similitudinem inter se postulat (169). Sic collectio *equorum* v. gr. et plures equos includit et rationem *equinam*, in qua equi omnes conveniunt: in collectione *substantiarum* datur pluralitas substantiarum cum *perseitate* conjuncta, quæ illis omnibus communis est, etc., etc.

180.—Ab hac ratione communi nomen sumit ipsa collectio, quia illa est veluti forma specifica pluralitatis sub ea in unum collectæ. Sic denominamus collectiones *equorum*, *substantiarum*, *entium*; quia pluralitates distinctorum individuorum sub rationibus communibus *equi*, *substantiæ*, *entis* in unum collectas consideramus.

181.—Essentia propria unitatis collectivæ in hoc consistit, quod unitates ad invicem distinctæ conjunguntur in unum mediante unione logica ipsarum, ex qua resultat et *totum quoddam* logicum et pluralitas *partium* illud constituentium.

182.—E contra in unitate universali non habetur *totum* ullum ex diversis *partibus* constans, sed simplex repetitio ejusdem rationis communis in diversis subjectis illam participantibus. Sic *humanitas* ex. gr., quæ est quædam unitas universalis, invenitur multiplicata in singulis subjectis humanis, quin aliquid dicat de conjunctione illorum in unam collectionem.

183.—Hinc facile perspicitur essentialis differentia inter has duas unitates intercedens. Nam collectiva involvit conceptus *totius* et *partium* ad invicem conjunctarum; universalis autem nihil horum implicat, sed solam repetitionem ejusdem formæ in distinctis

subjectis illam possidentibus: *collectiva non convenit* nisi toti, ut tali; unde nequit de singulis ejus partibus prædicari: *universalis vero singulis subjectis convenit ac potest de unoquoque illorum dici*. Sic de nullo *milite*, v. gr., qui est pars unitatis collectivæ, quam *exercitum* vocamus, dici potest quod sit *exercitus*; ast e contra de singulis subjectis, ad quæ se extendit unitas universalis, quam appellamus *humanitatem*, dici potest ac debet quod sunt *homines*.

184. — Hac de causa sapienter docet Sanctus Thomas unitatem collectivam componi ex partibus heterogeneis seu rationem totius non participantibus; unitatem vero universalem versari circa partes homogeneas, quæ ipsam totius rationem in se referunt. Nullus enim *miles* est *exercitus*, sicut nulla *pars domus* est *domus*; ast omnis *pars humanitatis* est *homo*, sicut omnis *pars lapidis* est *lapis*.

185. — Aliquam tamen similitudinem inter has duas unitates intercedere, non obstante essentiali earum differentia, minime diffitendum est: ambæ enim conveniunt in se extendendo ad plura individua inter se distincta. Verum similitudo hæc *generica* est, non vero *specifica*, ut probatum est.

186. — Unitas *collectiva generatim sumpta dicitur multitudo*; multitudo autem mensurata per unum appellatur *numerus* (118). Cum autem hoc unum, quo tamquam mensura utimur ad mensurandam multitudinem, ratio quædam universalis sit omnibus rebus numerabilibus communis; manifestum est numerationem proprie dictam a solis entibus intelligentibus fieri posse: sola enim entia intelligentia concipere possunt rationes universales.

187. — Numerus potest esse *abstractus vel concretus*. Hic unitatibus concretis constat; ut cum dicimus *tres equos, quatuor domos, quinque civitates*, etc.: ille autem ex unitatibus abstractis componitur; ut cum numeramus *octoginta, quadraginta unitates*, etc.

188. — Hinc patet numerum abstractum nonnisi metaphorice *quantitatem discretam* vocari: partes enim illius unitatis transcendentales sunt, ac proinde a quantitate seu extensione materiali præscindunt. Numerus autem concretus erit vera quanti-

tas discreta vel non, secundum quod unitates illius quantitate gaudeant vel secus.

189.—Numerus *formaliter* sumptus non invenitur nisi in intellectu numerantis; in illo enim solo inveniri potest multitudo, *ut mensurata*. *Fundamentaliter* tamen consideratus est in ipsis rebus; quatenus hæ percurri numerando possunt et ita denominationem extrinsecam multitudinis mensuratæ assumere. Unde idem affirmandum de numero, quod de universalibus diximus.

190.—Numerum mente concipimus inspiciendo plures res et eas deinde unitate quadam omnibus communi mensurando. Unitas hæc dicitur *principium numeri*, quia repetitione sui numerus efformatur. *Semel, bis, ter, quater*, etc. repetita constituit numeros *binarium, ternarium, quaternarium*, etc. Primus numerorum est binarius; quia unitas non est nisi principium multitudinis.

191.—Unusquisque numerus vincit suum immediate inferiorem una unitate: unde ad efformandas omnes species numerorum sufficit addere singulis numeris jam formatis hanc unitatem. Hoc tamen in numeris magnis admodum laboriosum est; ac proinde ad vitandum hunc laborem aliquo numero tamquam unitate uti homines solent. Imo in scientiis mathematicis hoc ipsum non sufficit; sed loco numerorum litteræ adhibentur, quarum valor in unaquaque operatione algebrica ex libera mathematici voluntate dependeat. Hac ratione hæ scientiæ brevi tempore ad magnam perfectionem adductæ sunt.

ARTICULUS III.

De veritate et falsitate.

Ut ordini simul ac claritati consulamus, rem in hoc articulo tractandam in duos distinctos paragraphos dividemus.

§ I. QUÆNAM SIT NATURA VERITATIS TRANSCENDENTALIS.

192.—Veritas definiri solet: *adæquatio mentis et rei*. Porro adæquatio hæc in tantum existit, in quantum intelle-

ctus cogitans et res per illum cogitata eadem forma informantur. Sic inter intellectum judicantem rem aliquam esse *aurum* et rem ipsam tunc solum datur adæquatio, cum forma auri in intellectu relucens et rei externæ attributa realiter in illa invenitur.

193.—Veritas in *logicam* et *transcendentalem* dividitur: quarum prima in *conformitate mentis cum re* sita est, secunda vero in *conformitate rei cum mente*. Hæc autem ultima conformitas potest esse *actualis* vel *aptitudinalis*, prout res de facto conformata alicui intellectui cogitatur, vel intrinsece apta ad se illi conformandum. Porro de veritate logica hic minime agendum sed de sola transcendentali: quam ut explicemus, sequentes theses probandas assumimus.

PROPOSITIO PRIMA.

*Existit veritas transcendentalis;
eaque in conformitate, sive actuali, sive aptitudinali, rei
cum mente consistit.*

194.—*Prob. 1.^a p.*—Non solum nostros conceptus sed res ipsas veras esse affirmamus. Sic dicimus *verum aurum*, ut illud distinguamus ab apparenti; *verum hominem*, ut illum secernamus a ficto; *verum Deum*, ut illum a falsis diis separemus, etc. Sed veritas rerum dicitur transcendentalis. Ergo...

195.—*Prob. 2.^a p.*—Res aliqua dicitur vera, in quantum vel de facto conformatur intellectui illam cogitanti, vel saltem habet aptitudinem intrinsecam ad illi se conformandum. Hoc enim evidenter ex ipsa veritatis definitione infertur, cum veritas definiatur: *adæquatio rei et intellectus*. Ergo veritas illius in hac conformitate, sive actuali, sive aptitudinali, reponenda est. Porro conformitas hæc nihil realiter distinctum est ab ipsa re, quæ dicitur vera; sed est hæc ipsa res, prout conno-

tat extrinsecus aliquem actum intellectus. Cui de facto conformatur vel conformari valet: hac enim sola connotatione entitati rei adjuncta jam habetur quidquid requiritur ad hoc ut denominetur vera.

PROPOSITIO SECUNDA.

Omnis res habet veritatem transcendentalem.

196.—*Demonst.*—1.^o Omnis res, eo ipso quod est quid reale et minime fictum, habet suam intrinsecam intelligibilitatem. Ergo potest gignere vel saltem terminare veram ideam sui, ac proinde est aptitudinaliter conformis alicui intellectui. 2.^o Præterea omnis res, eo ipso quod est realis et non ficta, terminat de facto cognitionem divinam, quæ est essentialiter vera: ac proinde de facto conformatur cum mente divina. Ergo habet veritatem transcendentalem.

PROPOSITIO TERTIA.

Veritas rerum artificialium dependet quidem ab intellectu humano, non autem veritas rerum naturalium.

197.—*Prob. 1.^a p.*—Veritas rei cujusvis est ipsa res, prout connotat actum aliquem intellectus, cui conformatur vel conformari potest (195). Sed res artificialis dependet ab intellectu humano eam concipiente et in ejus productionem actione sua directiva concurrente. Ergo...

198.—*Prob. 2.^a p.*—Nulla realitas naturalis dependet in suo fieri ab intellectu humano. Ergo nec veritas illius; quia veritas rerum eatenus pendet ab intellectu, quatenus pendet ipsa res.

PROPOSITIO QUARTA.

*Veritas rerum physicarum dependet ab intellectu divino,
non autem veritas rerum metaphysicarum.*

199.—*Prob. 1.^a p.*—Res physicæ omnes sunt artefacta quædam divini Artificis illas actione sua producentis; nihil enim physice existere potest, quod Deus actione sua non efficiat. Sed Deus non influit physice in productionem rerum nisi dirigente intellectu potentiam ejus productivam. Ergo res omnes naturales dependent in suo fieri a divino intellectu ac proinde etiam dependet ab illo earum veritas.

200.—*Prob. 2.^a p.*—Essentiæ rerum metaphysicæ non dependent a divino intellectu sed tantum a Dei essentia, sicut nec interna earum possibilitas (49). Ergo idem dicendum est de illarum veritate, quæ cum illis realiter identificatur.

PROPOSITIO QUINTA.

*Veritas est in rebus non solum fundamentaliter
sed etiam formaliter; imo, spectato ordine ontologico,
per prius est in rebus quam in intellectu.*

201.—*Prob. 1.^a p.*—Veritas formaliter sumpta consistit in adæquatione rei et intellectus. Atqui non solum intellectus habet intrinsecam aptitudinem ad sese rebus adæquandum, sed etiam res ad se adæquandum intellectui. Nam sicut intellectus se adæquat rei per formam suam intentionalem, ita res intellectui per formam suam naturalem; cum ambo in eadem forma conveniant. Ergo...

202.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Veritas conceptuum in intellectu existens supponit veritatem rerum tamquam

quid illa prius; cum intellectus nequeat actione sua cognoscitiva in objectum tendere nisi illud jam aliunde reale supponat. Ergo est quid illa posterius, ac proinde veritas est per prius in rebus quam in intellectu. 2.^o In ordine rerum illud dicitur prius, quod est universalius. Sed veritas rerum est quid universalius quam veritas conceptuum; quia hæc non est nisi in intellectu, illa vero tam extra quam intra intellectum. Nam ipse conceptus mentis est quædam res; ac proinde, qua talis, non potest non habere veritatem transcendentalem. Ergo...

203.—Dixi tamen *spectato ordine ontologico*: nam in ordine logico prius adquirimus ideam veritatis logicæ quam transcendentalis. Ideo hanc per illam definimus, dicentes veritatem rei alicujus transcendentalem esse ipsam rem, quatenus aptam ad gignendam vel terminandam veram illius cognitionem. Scilicet hac in re illud ipsum accidit, quod in perfectionibus divinis contingere videmus. Deus enim habet *vitam, intelligentiam, sapientiam*, etc., multo perfectius quam *homo*; vitam tamen, intelligentiam et sapientiam prius cognoscimus in homine quam in Deo (1).

§ II. AN ET QUOMODO DETUR FALSITAS IN REBUS.

204.—Falsitas e diametro opponitur veritati. Cum ergo hæc in adæquatione seu conformite quadam consistat, illa in difformitate ejusdem generis repugnanda est. De hac difformitate nunc quærendum est an et quomodo detur in rebus: quod dubium sequentibus propositionibus dissolvetur.

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 8, sect. 7 et 8.

PROPOSITIO PRIMA.

Datur aliquo modo falsitas in rebus.

205.—*Demonst.*—Non solum dicimus dari falsa judicia, sed etiam falsum aurum, falsos fratres, falsos amicos, falsos deos. Ergo, præscindendo a modo quo falsitas est in rebus, existere aliquas res falsas evidentissimum est.

PROPOSITIO SECUNDA.

Falsitas non est in rebus formaliter sed tantum metaphorice per denominationem quandam extrinsecam.

Est contra aliquos dicentes dari quasdam res formaliter falsas, scilicet illas omnes quæ deficiunt a regulis artis vel a regula moralitatis.

206.—*Demonst.*—1.º Omnes res sunt transcendentallyter veræ, quia habent intrinsecam aptitudinem ad generandum vel terminandum verum sui conceptum. Ergo nulla illarum potest esse proprie falsa; quia hæc duo ad invicem pugnant et ideo inveniri nequeunt in eodem subjecto. 2.º In tantum esse posset propria falsitas in quibusdam rebus, in quantum deficiunt a regulis artis vel a regula moralitatis. Nam licet aliquæ dicantur falsæ ratione falsi iudicii ad quod *occasionaliter* impellunt, non ideo tamen proprie ac formaliter falsæ sunt. Sic *aurichalcum* dicitur *falsum aurum* propter occasionem errandi, quam suo colore aureum imitante præbet intellectui nostro; sed in se est verum et reale aurichalcum et intrinsecam aptitudinem habet ut cognoscatur ut tale. Atqui quod aliqua res deficiat a regulis artis vel a regula moralitatis, non facit esse formaliter falsam: tum quia de

§ I. QUID ET QUOTUPLEX SIT BONUM.

209.—*Boni nomine intelligimus illud quod est conveniens alicui.* Porro ratione hujus convenientiæ in objecto aliquo existentis objectum hoc dicitur *appetibile*: unde bonum definiri etiam solet: *illud quod est alicui appetibile*. Verum ex his duabus definitionibus prima manifeste præferenda est, quia ostendit quid proprie sit bonum et in quo natura illius intrinseca consistat.

210.—De bonitate illud ipsum hic affirmandum est, quod supra de veritate diximus; scilicet, nihil addere enti quod realiter ab illo distinguatur, sed esse ipsum ens quatenus alicui conveniens et consequenter appetibile. Hinc vero patet bonitatem entis cujusvis connotare ex parte illius, cui conveniens esse dicitur, aliquam inclinationem ad illam; sive hæc inclinatio sit mere *naturalis* et quasi quoddam pondus naturæ, sive *elicitiva* et in quodam actu facultatis appetitivæ consistens, sive saltem *passiva*, ut ita dicam, et in mera capacitate recipiendi illam bonitatem reposita. Sic inclinatione naturali omnia entia bonum essendi appetunt, inclinatione elicitiva homines appetunt divitias, honores, etc., et inclinatione passiva natura humana est capax recipiendi a Deo omnia dona gratiæ illi prorsus indebita.

211.—Bonitas solet etiam dici *perfectio*; quia in rebus creatis omne bonum est vere *effectum* ab aliqua causa. Et quia de Deo non aliter loquimur quam verbis ad significandas res hujus mundi applicatis; Deo etiam perfectiones tribuimus, licet in illo nulla bonitas sit vere causata aut effecta. Stricte tamen perfectum solum bonum creatum dici potest; et quidem non omne, sed illud tantum, cui nihil deest in linea bonitatis ipsi naturaliter convenientis.

212.—Hinc, distinguendo in entibus bonum *substantiale* ab *accidentalibus*, dici potest entia tunc solum perfecta vocari posse, quando nihil eis deest ex his duobus bonis; bona autem recte appellari, quamdiu bonum saltem substantiale illis inest. Unde tandem patet perfectionem bonum quoddam esse completum. Sed de hoc infra.

213.—Bonum multiplici ratione dividitur. Nam aliud est *substantiale*, aliud vero *accidentale*; aliud ab-

solutum, aliud autem *relativum*; aliud denique *honestum*, aliud *utile*, aliud *delectabile*. De singulis aliquid dicamus. Et quidem ad primam divisionem quod attinet, substantiale dicitur *illud bonum, quod ens aliquod constituit et sine quo ens illud existere nequit*, ut ex. gr. *animalitas* et *rationalitas in homine*. Accidentale autem est *illud, quod enti jam in suo esse constituto supervenit, ac sine quo hoc ens existere valet, ut talis color, talis statura in Petro*. Substantiale semper est verum; accidentale autem erit verum vel falsum, secundum quod prosit vel noceat bono summo, quod in consecutione ultimi finis situm est. Sit *voluptates illicitæ* ex. gr. sunt bona falsa; quia hominem a suo fine avertunt.

214.—Deinde quod ad secundam divisionem spectat, bonum absolutum dicitur *illud, quod conveniens est ipsi enti in quo existit*. Relativum autem vocatur *illud, quod conveniens est enti alicui realiter distincto ab eo in quo ipsum est*. Sic ex. gr. *corpus* et *anima* sunt bona hominis absoluta; *vestis* autem, qua homo operitur, est bonum illius relativum.

215.—Denique, ut de tertia divisione loquamur, honestum est *illud, quod propter se ipsum decet naturam nostram rationalem*, v. gr. *justitia*. Utile vero dicitur *illud, quod ad alterius consecutionem conducit*, ut *cibus* et *medicina*. Denique delectabile *illud* nuncupatur, *cujus appetibilitas in aptitudine sua ad nos delectandos consistit*, ut *fructio pomi*.

216.—Circa bonum honestum notandum est illud duplicis generis esse posse, *late* scilicet et *stricte* tale. Late tale dicitur *illud omne, quod decet naturam humanam, qua physica natura est*, v. gr. *scientiæ, robur, pulchritudo, optima indoles, acerrimum ingenium*, etc. Stricte autem tale est *illud tantum, quod naturam nostram decet, qua rationalis est*, v. gr. *justitia, temperantia, castitas*. Ubi animadvertere oportet, non illa solum

bona, quæ in se spiritualia sunt et animam tantum perficiunt, inter stricte honesta esse computanda; sed omnia prorsus, etiam materialia et ad totum compositum humanum aut aliquam ejus partem spectantia, stricte honesta dici debere, dummodo honeste seu ordinate appetantur. Bonum enim stricte honestum est *bonum ordinis*, quodcumque sit, sive materiale sive spirituale: unde *manducare, bibere, dormire, ludere*, et alia similia ordinate quæsitæ vere honesta sunt; quia sunt verum bonum ordinis in homine.

217.—Deinde circa bonum utile observandum est illud, quæ tale, nullam intrinsecam appetibilitatem habere, sed totam ei advenire ab honesto vel delectabile, ob quorum consecutionem amatur. «Uitilia dicuntur, scribit optime S. Thomas, quæ non habent in se unde desiderentur, sed desiderantur solum ut sunt ducentia ad alterum, sicut sumptio medicinæ amara» (1). Unde si quis unum medium alii præfert, quia suavius aut delectabilius est, non illud quæ simpliciter utile appetit, sed etiam quæ delectabile.

218.—Denique circa bonum delectabile animadvertendum est, illud habere quidem in se veram et realem bonitatem, propter quam physice loquendo appeti possit; sed ad honestam ejus appetitionem requiri ut ordinate appetatur, id est, non præcise quia delectabile est, sed quia ejus delectabilitas est conjuncta cum bono honesto et ex ejus consecutione naturaliter resultat. Quærere enim delectabile præcise quæ delectabile est et abque ulla intentione boni altioris ac vere honesti, belluarum conditionem non transcendit, quæ boni stricte honesti prorsus incapaces existunt.

Postquam boni definitionem ac divisionem dedimus, ad explicandam ejus naturam gradus nobis faciendus est. Sint ergo sequentes propositiones.

(1) S. Thom. *Summ. Theolog.* 1. p. q. 5, art. 6, ad. 2.^{um}

PROPOSITIO PRIMA.

Omne ens habet in se aliquam bonitatem, tum absolutam, tum relativam.

219.—*Prob. 1.^a p.*—Omne ens habet necessario illud bonum substantiale, quo intrinsece in se constituitur. Sed bonum hoc dicitur absolutum (214). Ergo....

220.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Omne ens proportionem cum alio aliquo servat, sive tamquam pars cum toto, sive tamquam accidens cum subjecto, sive tamquam causa cum effectu, etc. 2.^o Præterea nihil est in mundo, quod ad aliquid bonum non inserviat: quod enim uni nocet, alteri prodest. 3.^o Denique, omne quod est in mundo, pars quædam est hujus universitatis cum ceteris harmonice in bonum totius conspirans. Ergo omne ens habet aliquam bonitatem relativam.

221.—*COROLLARIUM.*—Ergo absurda est sententia Manichæorum ponentium duo Principia, alterum summe bonum et alterum summe malum. Principium enim summe malum est pura chimæra; cum omne ens aliquam habeat bonitatem, tum absolutam, tum relativam.

PROPOSITIO SECUNDA.

Omne bonum est ens verum et reale.

222.—*Demonst.*—Omne bonum continet in se aliquam perfectionem. Sed omnis perfectio est ens reale, nam ens fictum nihil perficere quit. Ergo... Dicuntur quidem bonæ aliquæ privationes et carentiæ; sed hoc non aliter eis convenit, quam ratione alicujus realis entitatis, cum qua ordinarie copulantur. Sic *carere nimis divitiis* ordinarie bonum est; quia hoc

liberat animam a multis malis, quæ difficile vitare solent nimium divites.

PROPOSITIO TERTIA.

Bonum est diffusivum sui, quatenus per rationem apprehenditur.

223.—*Demonst.*—Bonum esse aliquo modo diffusivum sui axioma est ab omnibus receptum. Quod autem eatenus sit diffusivum sui, quatenus per rationem apprehenditur, ex eo patet quod bonum in tantum se diffundit, in quantum habet rationem finis. Hic enim non aliter operatur, quam ut apprehensus per intellectum. Ad rem D. Thomas: «Cum bonum sit quod omnia appetunt, hoc autem habeat rationem finis; manifestum est quod bonum rationem finis importat» (1). «Bonum dicitur diffusivum sui esse eo modo, quo finis dicitur movere» (2). Insensibilia quidem appetunt finem sed præordinatum et præintantum a Deo (3); ac proinde bonum etiam horum entium non aliter est diffusivum sui quam per rationem apprehensum.

PROPOSITIO QUARTA.

Bonum finis communicat mediis suam bonitatem.

224.—*Demonst.*—Bonum finis est causa ut propter sui amorem amet et eligat causa efficiens media ad ipsum conducentia. Ergo appetibilitas finis reddit appetibilia media in ratione mediorum; ac proinde finis communicat suam bonitatem mediis prædictis.

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1, p. q. 5, art. 4 in 0.

(2) Id. *ibid.* in resp. ad 2.^{um}

(3) Id. *ibid.* q. 19, art. 4 in 0.

PROPOSITIO QUINTA.

Deus est bonum omnis boni, non formaliter, sed causaliter.

225.—*Demonst.*—Deus eatenus est bonum omnis boni, quatenus omni enti a se distincto suam bonitatem largitur. Sed entibus his non largitur suam bonitatem infinitam, sed propriam ipsorum finitam et labilem; quia secus unaquæque res finita esset ipsa essentia divina, et suum esse finitum ac contingens ab esse Dei infinito ac necessario non distingueretur. Ergo Deus non est bonum omnis boni formaliter, sed causaliter; quatenus libera sua voluntate singula entia finita ex nihilo producit et in accepta entitate conservat. Pantheistæ quidem contrarium affirmant, sed absurde omnino; quia Deus perfectissime distinguitur ab hac rerum universitate, ut alibi demonstratur.

§ II. QUÆNAM SIT MALI NATURA.

226.—Malum aliquo modo existere in rebus evidentissimum est: dicimus enim esse cogitationes *malas*, verba quoque et opera *mala*, homines *malos*, etc., etc. Sola igitur illius natura a nobis explicanda est; quod quidem sequentibus propositionibus perficiemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Malum non est natura positiva quarundam rerum, quæ omnino malæ sint et a quodam summe malo principio processerint.

Est contra veteres Manichæos ponentes duo prima Principia rerum, unum summe bonum et alterum summe malum.

227.—*Demonst.*—1.^o Omnis natura positiva est in se simpliciter bona, ut ex supra demonstratis constat (219). Ergo... 2.^o Nulla res potest esse mala ob naturalem perfectionem sibi debitam. Sed natura positiva uniuscujusque rei est perfectio substantialis illi rei debita. Ergo... 3.^o Repugnat omnino Principium primum summe malum, ex quo hujusmodi naturæ oriri potuerint (221). Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Malum absolutum formaliter consistit in privatione boni.

228.—*Demonst.*—Res non potest dici mala a perfectione sibi debita; cum ratio boni in hoc consistat, quod res habeat perfectionem sibi debitam et convenientem. Ergo debet ita denominari ob defectum perfectionis alicujus. Atqui non ob defectum perfectionis indebitæ: tum quia nulla res dicitur mala, quod careat perfectione sibi non conveniente; tum etiam quia secus omnes res præter Deum deberent dici malæ, cum omnes careant aliqua perfectione sibi indebita, quæ in alio ente invenitur. Ergo ob defectum perfectionis sibi debitæ seu ob privationem alicujus boni (95): ac proinde malum absolutum, seu quod in se malum est, formaliter consistit in privatione alicujus boni.

PROPOSITIO TERTIA.

Malum relativum consistit in re aliqua positiva: hæc tamen non est mala præcise ob ipsam ejus perfectionem sed ob privationem quandam perfectionis illi inhærentem.

Est contra aliquos contententes malitiam mali relativi formaliter consistere in re quadam positiva; quamvis, ut puto

non tam re quam sermone differunt hi auctores a ceteris, quibuscum in hac thesi convenimus.

229.—*Prob. 1.^a p.*—«Non tantum privatio, sed etiam forma aliqua positiva potest esse disconveniens alicui subjecto; hæc autem ratio mali eadem est cum ratione disconvenientis alicui. Sicut ergo bonum sub ratione convenientis alteri nihil aliud dicit quam perfectionem unius rei, connotando in alia conditionem aliquam, ratione cujus sibi debetur aut congruit talis perfectio; ita malum huic bono oppositum formaliter ac præcise nihil aliud dicit præter perfectionem unius rei, connotando in alia conditionem aliquam, ratione cujus repugnantiam vel disconvenientiam habet cum tali forma. Igitur sicut bonum illud in positivo consistit, ita malum ei oppositum» (1). Sic v. gr. *dolor* corporis et *actus peccaminosus* voluntatis, qui sunt quid malum homini, in se nihil exprimunt præter entitates quasdam positivas, connotando in homine conditionem aliquam, ratione cujus hic repugnantiam vel disconvenientiam cum illis habet.

230.—*Prob. 2.^a p.*—Res alteri mala est talis propter disconvenientiam ejusdem cum illa. Sed hæc disconvenientia formaliter exprimit quid privativum perfectionis convenientis illi subjecto, cui res mala dicitur. Ergo... Ad rem optime Suarez: «Ipsamet disconvenientia ad privationem pertinet, sicut in universum *contrarietas*, *repugnantia* et *distinctio* in suo intrinseco conceptu negationem includunt. Contrarietas enim includit impossibilitatem oppositarum formarum in eodem subjecto; impossibilitas autem negationem includit. Sic ergo disconvenientia dicit improportionem seu ineptitudinem ad convenientem unionem seu compositionem. Deinde in eo subjecto, cui alia res seu forma mala dicitur, connotatur carentia naturalis propensionis seu connexionis cum tali re. Ac denique in ipsamet re, quæ al-

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 11, sect. 1, n. 8.

teri mala dicitur, denotatur carentia perfectionis tali subjecto convenientis: quæ, licet respectu ipsius formæ absolute consideratæ videatur esse negatio quædam; tamen respectu subjecti habet rationem privationis, quia est carentia perfectionis illi debitæ. Et respectu formæ dici potest privatio, non simpliciter, sed ex hypothesei seu in ordine ad talem effectum: quia, licet absolute non debeat tali formæ talis perfectio; tamen ut posset convenienter informare tale subjectum, indigeret illa» (2).

PROPOSITIO QUARTA.

Bonum et malum respectu diversorum non sunt opposita sed disparata; respectu autem ejusdem rei opponuntur privative in rationibus suis formalibus, et contrarie in rationibus suis materialibus.

231.—*Prob. 1.^a p.*—Una et eadem res potest esse simul bona et mala respectu diversorum: quod enim uni conveniens est, alteri disconveniens esse potest. Atqui rationes diversæ, quæ simul in eodem subjecto esse queunt, non sunt oppositæ sed disparatæ; sicut esse simile uni et dissimile alteri sunt duæ rationes non oppositæ sed disparatæ. Ergo bonum et malum respectu diversorum non sunt opposita sed disparata.

232.—*Prob. 2.^a p.*—Bonum idem est quod perfectum, quantum ad id quod bonum est; malum autem dicitur, quod debita perfectione caret. Item, bonum in sua ratione formali idem est ac conveniens subjecto; malum autem est idem ac illi disconveniens. Sed gaudere debita perfectione et illa carere, convenire et disconvenire subjecto privative opponuntur. Ergo bonum et malum respectu ejusdem in suis rationibus formalibus sunt privative opposita.

(2) Id. *ibid.* n. 14.

233.—*Prob. 3.^a p.*—Bonum et malum in suis rationibus materialibus sunt duæ formæ positivæ ad invicem contrapositæ, ut ex. gr. *voluptas* et *dolor*, *virtus* et *vitium*, etc. Sed formæ positivæ ad invicem contrapositæ opponuntur contrarie, cum maxime distent in eodem genere. Ergo...

PROPOSITIO QUINTA.

Malum dividitur: 1.^o in absolutum et relativum; 2.^o in physicum et morale; 3.^o in malum culpæ et malum pœnæ.

234.—*Demonst.*—Quot modis dicitur unum oppositorum, dici potest et alterum. Atqui bonum dividitur in *absolutum* et *relativum* seu *bonum in se* et *bonum alteri*, in *physicum* et *morale*, in bonum *meriti* et bonum *præmii*. Ergo... Porro malum absolutum est *illud, quod in se ipso absolute consideratur*: et hoc non potest esse nisi mera privatio boni, quia omnis res positiva in se et absolute considerata dicit formalem perfectionem et est simpliciter bona. Malum relativum est *illud, quod alteri malum est*: et hoc jam vidimus, in se et absolute consideratum esse quoddam bonum. Malum physicum dicitur *illud, quod disconveniens est naturæ alicui physicæ*, ex. gr. *ægritudo*, *amentia*, etc. Malum morale est *illud, quod opponitur regulis morum*, ut *peccatum* et *vitium*. Malum culpæ est *illud, quod libere admittitur per violationem alicujus præcepti legitime impositi*, ut *inhonoratio parentum*. Malum denique pœnæ est *illud, quod alicui imponitur in vindictam suæ culpæ*.

PROPOSITIO SEXTA.

Malum esse non potest nisi in subjecto bono.

235.—*Demonst.*—Malum formaliter consistit in privatione debitæ perfectionis. Sed nulla privatio esse quit extra subjectum bonum seu substantiali sua perfectione ornatum. Ergo... Hinc mors est certe quid formaliter malum, in fieri ejusdem; quia tunc existit subjectum, cui mors inhæreat: non autem in ultimo suo termino, quando jam destructum manet subjectum, ob rationem contrariam. Solet tamen, late loquendo, malum appellari; quia est totalis ablatio boni, quæ sufficiens ratio est ut odio habeatur vel fugiatur (1).

PROPOSITIO SEPTIMA.

*Malum semper oritur ex aliquo bono;
per accidens tamen et præter intentionem primariam
atque intrinsecam agentis.*

236.—*Prob. 1.^a p.*—Omne malum habet causam; siquidem existere nequit in ente a se, quod est summe bonum, sed in ente ab alio. Sed omnis causa est necessario aliquod bonum, cum debeat esse ens. Ergo...

237.—*Prob. 2.^a p.*—Tribus modis potest accidere malum rebus; *per efficientiam perfectam causæ agentis, per efficientiam imperfectam et per defectum efficientiæ.* In primo casu agens primario et per se non intendit malum quod ex actione sua sequitur, sed bonum ad quod ipsa ex natura sua ordinatur. Sic ignis ex. gr., cum actione sua comburit lignum, primario et per se non intendit ligni destructionem sed communicatio-

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 11, sect. 3, n. 11.

nem suæ propriæ naturæ igneæ, ad quam sequitur consequenter ligni destructio. Nec vero contra hoc pugnat quod agens liberum possit directe intendere malum; quia intentio hæc est accidentalis et extrinseca naturæ, quæ ex se et ex virtute sibi intrinseca directe primario non tendit nisi ad bonum. In secundo casu malum sequitur ex obstaculis accidentalibus plenum et expeditum exercitium alicujus naturalis virtutis operativæ impredientibus, aut ex infirmitate ipsius potentiæ aliquo morbo accidentali affectæ, ut cum *claudus* ob ægritudinem potentiæ locomotivæ, homini non naturalem sed accidentalem, claudicat. In tertio denique casu illa non efficientia non intenditur primario et directe a natura, quæ ex se potius ad operationem dirigitur; sed sequitur naturaliter ex aliqua actione ad bonum aliquod ordinata; ut cum oriuntur tenebræ ex interpositione alicujus corporis opaci illuminationem impredientis. Ergo...

PROPOSITIO OCTAVA.

Malum omne in naturali rerum finitarum defectibilitate ultimum suum fundamentum habet.

238.—*Demonst.*—Malum in rebus naturalibus exinde oritur, quod vires earum sint impotentes ad resistendum agentibus contrariis. Causa enim prima, in agendo cum secundis, harum se naturis accommodat; et ideo ratio cur inter diversa agentia naturalia fortius vincat et in cetera malum introducat, non influxui generali Causæ primæ sed naturali impotentiae causarum secundarum tribui debet. Ergo quod attinet ad res libertate destitutas, malum in naturali ipsarum defectibilitate ultimum suum fundamentum habet. Jam vero idem dicendum de liberis omnibus finitis. Nam, quamvis malum morale in illis

immediate proveniat ex solo exercitio suæ libertatis, ultimo tamen in naturali ipsarum defectibilitate fundatur. Possibilitas enim hujus exercitii supponit imperfectionem aliquam intrinsecam et connaturalem creaturæ, quæ est esse mutabilem et defectivam, sine qua non esset in ea possibile peccatum. Ergo... (1).

CAPUT V.

De ordine, pulchritudine et perfectione.

Cum transcendentalibus Entis proprietatibus intime connectuntur *ordo*, *pulchritudo* et *perfectio*. Ordo enim est quædam species unitatis, pulchritudo quædam species veritatis, et perfectio quædam species bonitatis. De illis ergo totidem articulis nunc agere oportet.

ARTICULUS PRIMUS.

De ordine.

239.—Ordo difinitur a Sancto Augustino: «Parium, dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio» (2). Quæ quidem definitio ex sensu hominum communi evidentissime probatur: homines enim generatim omnes et solas eas res vocant ordinatas, in quibus pluralitas est ad unitatem redacta per aptam singularum suarum partium dispositionem.

240.—Ex hac definitione sequitur tria ad ordinem requiri; scilicet *pluralitatem rerum*, *unitatem totius ex*

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 11 per totam.

(2) S. August., *De Civitate Dei*, lib. 19, cap. 13.

illarum unione resultantis, et *aptam earundem dispositionem*. Et sane in unitate sola nullus ordo perspicitur: unde in ipso Deo numquam se nobis ordo manifestat, nisi plures perfectiones in eo concipiamus. Pariter pluralitas sola non exhibet nisi *elementa ordinabilia*; et pluralitas ad unitatem redacta sine apta partium dispositione est *multitudo quædam inordinata*.

241.—Ex tribus his elementis pluralitas seu multitudo partium ordinabilium *materiam*, apta autem partium dispositio *formam* ordinis constituunt: unitas denique est quasi *finis* et ultimus terminus ex apta rerum dispositione resultans. Unde non incongrue ordo a quibusdam definitur: *Apta plurium dispositio ac conspiratio ad communem finem* (1).

242.—Diversitas ordinum ex diversitate tum rerum ordinandarum, tum etiam unitatis seu finis communis enascitur. Sic, ratione *primi*, ordo erit *staticus* vel *dynamicus*, *physicus* vel *moralis*, etc.; secundum quod res ordinandæ sint *substantiæ* vel *vires*, aliquid *physicum* vel aliquid *morale*, etc. Ratione vero *secundi*, ordo erit *chronologicus*, vel *symmetricus*, vel *harmonicus*, vel *finalis*, etc.; prout res fuerint dispositæ secundum rationes communes *prioritatis* et *posterioritatis*, aut *æqualitatis* et *inæqualitatis*, aut *similitudinis* et *dissimilitudinis*, aut denique *causalitatis* et *finalitatis*, etc.

243.—Ordo, ut talis, solo intellectu cognosci potest; cum ratio communis, sub qua res apte inter se disponuntur, sit quidam conceptus universalis, quo carent facultates sensitivæ. Hinc belluæ impotentes prorsus sunt ad illum percipiendum, quia ideis universalibus carent. Modo tamen concreto illum percipere queunt; quia facultates earum perceptivæ, licet imperfectæ, aliquo modo intellectum nostrum imitantur.

244.—Pariter ordo, ut talis, non nisi ex mente aliqua ordinatrice procedere valet; quia res disponere

(1) Cuevas, *Cosmologia*, n. 14.

secundum rationem aliquam communem ille solus potest, qui rationem hanc mente conceptam habet.

245.—Hinc belluæ, resque omnes insensibiles producere quidem possunt effectus ordinatos, non tamen *sub ratione ordinationis formalis*; quia deest illis idea omnis universalis, unde procedat hæc ordinatio. Mens hujusmodi effectus ordinans est intelligentia divina, cujus est agentibus omnibus naturalibus fines proprios et media ad illos consequendos prædeterminare; sicut sagittæ prædeterminatur finis et certus motus a sagittario (1).

246.—Non omnis effectus ordinatus arguit intelligentiam in operante; quia quando parvus est et paucae sunt res illum conflantes, *casu* accidere potest. At vero, cum ordo in effectu relucens est magnus et multis partibus constans, tunc ex illo intelligentiam in operante arguere licet; quia effectus hujusmodi casu accidere nequit. Sic ex præsentia alicujus *horologii* affabre facti ex. gr. optimo jure inferimus actionem alicujus *artificis intelligentis*; et ex constantia, universalitate atque uniformitate ordinis mundani existentiam supremi Numinis, quod intelligentia sua illum conceperit et potentia sua maxima illum produxerit ac conservet.

247.—Ad videndum utrum res aliqua sit bene vel male ordinata opus est eam sub illa ipsa ratione considerare, qua disposita fuit ab ejus auctore. Secus enim facile accidere poterit, ut minime in illum scopum collineet, quem nobis mente fingimus, et inordinatam male judicemus, quando vere conspirat in finem intentum ab auctore. Hujus observationis defectu quod uni ordinatum videtur, alter sæpe inordinatum putat.

248.—Scopus, in quem partes omnes ordinandæ collineare debent, frequenter ab ipsa natura dictatur; non raro tamen ex libera ordinatoris voluntate pendet, eo quod res sub multis rationibus considerari ac disponi valeat. Sed in hoc etiam se-

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 19. art. 4 in 0; et 1. 2, q. 13, art. 2, ad 3.^{um}

cundo casu aliquod fundamentum haberi debet in ipsa natura, ne ordinatio sit mere subjectiva et plene arbitraria. Hac de causa optime dicitur, in omni ordine artificiali bene excogitato inveniri aliquid subjectivum et aliquid objectivum.

249.—Sicut ordo generatim ab intelligentia procedit, ita inordinatio sæpe *casu* fit. Est autem casus, ut optime ait Aristoteles (1), *causa agens præter intentionem*: unde recte observat Sanctus Thomas res casuales, simpliciter loquendo, non esse intentas neque voluntarias (2).

250.—Est autem notandum duplicem esse intentionem, aliam nempe *voluntatis* et aliam *naturæ*; et duplici proinde modo posse casum contingere. Intentio voluntatis est *tendentia libera entis intelligentis in objectum aliquod per intellectum propositum*, ut *occisio libera inimici clare cogniti*. Intentio autem naturæ dicitur, denominatione desumpta ab intentione voluntatis, *tendentia naturalis et necessaria rerum physicarum ad producendum certos et determinatos effectus*, ut ex. gr. *tendentia lucis ad illuminandum, Solis ad illuminandum et calefaciendum*, etc. Sic ex. gr. casu fit occisio amici, quando quis, putans eum esse inimicum, pugione confodit: et casu occiditur homo transiens per viam aliquam civitatis, quando vi naturalis gravitatis suæ tegula decedit e tecto super caput ejus; quia præter intentionem tum amici, tum tegulæ fiunt hæ occasiones.

251.—Addendum tamen casum nullibi existere nisi respectu causarum particularium; quia illæ solæ extrahi possunt ex suo naturali cursu ob influxum actionum, quibus una in alteram agit et modum suum operandi perturbat. Respectu vero causæ universalis et primæ nullus potest existere casus: tum quia nihil fieri in mundo potest, quod ipsa non prius cognoverit atque ordinaverit; tum quia nulla causa particularis potest opponere obstaculum virtuti suæ universali; tum denique quia, quidquid agat creatura, semper invenitur intra ordinem providentiæ divinæ. Unde nec ipse homo suo libero arbitrio subtrahitur ab hoc ordine; eo quod, fugiens per sua peccata ab or-

(1) Aristot., 2 *Physic.* cap. 6.

(2) S. Thomas, *Summ. Theol.* 2.^a 2.^a q. 64, art. 8.

dine beneficentiæ et misericordiæ, necessario incidit in ordinem justitiæ, ut sapienter docet D. Thomas (1) cum S. Augustino (2).

ARTICULUS II.

De pulchritudine.

252.—*Pulchra dicuntur, quæ visa placent.*—Hinc pulchritudo ad virtutem cognoscitivam pertinet; solius enim cognoscitivæ virtutis est in visione objecti complacere. Notat hoc Angelicus Doctor per hæc verba: «Pulchrum et bonum in subjecto quidem sunt idem; quia super eandem rem fundantur, scilicet super formam; et propter hoc bonum laudatur ut pulchrum. Sed ratione differunt; nam bonum proprie respicit appetitum, est enim bonum quod omnia appetunt; et ideo habet rationem finis, nam appetitus est quasi quidam motus ad rem: pulchrum autem respicit vim cognoscitivam; pulchra enim dicuntur, quæ visa placent» (3).

253.—Si pulchritudo, prout talis, ad objectum facultatum cognoscitivarum pertinet, manifeste patet eam in aliquo *vero* reponendam esse. Cum autem non omne verum pulchrum sit, sed multa sint fœda et inhonesta; pulchritudo non veritatem ipsam, sed *dotem* seu *qualitatem quarundam veritatum* propriam designare dicenda est. De natura igitur hujus dotis seu qualitatis nunc nobis agendum est: quod ut faciamus, Cardinalis Toleti vestigia sequemur, qui in Commentario ad citatum locum D. Thomæ a pulchritudine materiali, utpote nobis notiore, exordium cepit.

254.—Pulchritudo materialis ita definitur a Sancto Augustino: «Pulchritudo est congruentia partium

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 22, art. 2, ad 1.^{um}

(2) S. August. *De spiritu et littera*, cap. 53, n. 58.

(3) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 5, art. 4 ad 1.^{um}

cum quadam coloris suavitate» (1). Idem hac in re sentit Sanctus Thomas, hæc scribens: «Pulchrum in debita proportionem consistit; quia sensus delectantur in rebus debite proportionatis, sicut in sibi similibus» (2). «Ad pulchritudinem tria requiruntur. *Primo* quidem integritas sive perfectio: quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt. *Et* debita proportio, sive consonantia. *Et* iterum claritas: unde quæ habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur» (3).

255.—Definiendo igitur cum his auctoribus pulchritudinem rerum materialium staticam (242), dicere possumus eam *in debita partium proportionem cum totius integritate et coloris claritate* consistere. Et sane, omnes substantiæ corporeæ, in quibus ista tria inveniuntur, *pulchræ* vocantur: et e converso, substantiæ hæ dicuntur *fædæ* vel *defædatæ* seu imperfecta pulchritudine gaudentes, quoties perfectionibus prædictis aut ex toto aut ex parte privantur. Ergo signum manifestum est pulchritudinem supradictam in re a nobis asserta consistere. Præterea rationes Divi Thomæ id evidenter ostendunt. Nam ad proportionem partium quod attinet, hæc natura sua delectare debet tam sensum quam rationem, propter similitudinem quam cum illis gerit. Similitudo enim est causa amoris: unde, cum vi proportionis prædictæ detur quædam similitudo inter objectum bene proportionatum et potentias cognoscitivas, quæ sunt facultates quædam proportionales; fieri non potest, quin ratio et sensus, qui ratio quædam est, in eo contemplando delectentur. Deinde quod ad integritatem spectat, hæc in quadam proportionem consistit: unde

(1) S. August. *epist.* 151 ad Nebridium.

(2) S. Thom. *loc. cit.*

(3) Id. *ibid.* q. 39, art. 8 in 9.

defectus integritatis defectus proportionis est; atque idcirco «quæ diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt» (1). Denique coloris claritas proportionem partium et integritatem totius potentiæ cognoscitivæ modo proportionato ostendit. Ergo non potest non reddere illi delectabile objectum in se integrum ac proportionatum; et e converso defectus illius delectabilitate sua ipsum privabit, eaque ex parte fœdum relinquet.

256.—Altera species pulchritudinis materialis, quæ *dynamica* appellatur et ad harmonias musicas spectat, ob easdem rationes in *proportione partium musicalium seu sonorum cum integritate totius et concentuum perspicuitate* reponatur necesse est. Hinc non modo discordantia sonorum, sed etiam harmoniæ difficiles atque obscuræ dynamicæ pulchritudini nocent; quia vix magno cum labore percipiuntur.

257.—Declarata jam pulchritudine ordinis materialis, facile erit ad alteram ordinis spiritualis gradum facere: spiritualia enim et suprasensibilia non nisi ad instar sensibilibus apprehendimus. Igitur eatenus in rebus spiritualibus et suprasensibilibus pulchritudinem perspicemus, quatenus tria elementa prædicta, integritatem scilicet perfectionis debitæ, proportionem diversarum perfectionum, ac denique fulgorem quemdam eas decore suo nobilitantem, simul conjuncta in eis reperiemus (2). Sic *homo* ex. gr. ingenio præditus et apte circa rem aliquam discurrens objectum intellectualiter pulchrum nobis exhibet, licet forte in ordine morali turpis ob sua vitia existat. E

(1) S. Thom. *loc. cit.*

(2) Hinc D. Thomas: «Pulchritudo spiritualis in hoc consistit, quod conversatio hominis, sive actio ejus, sit bene proportionata secundum spirituales rationis claritatem (S. Thom. *Summ. Theol.* 2. 2. q. 145, a. 2.)

contra homo in amentiam actus rem nobis intellectualiter foedam repræsentat, quia integritate perfectionis naturaliter sibi debitæ orbatus apparet.

258.—Quo hæc tria elementa plenius ac perfectius in aliquo ente inveniuntur, eo pulchrius abs dubio erit. Hinc Deus, in quo hæc tria plenissime ac perfectissime existunt, plenissima ac perfectissima pulchritudine gaudet.

259.—Si bene tria elementa perpendamus, in quorum conjunctione pulchritudinem consistere diximus; facile perspicimus pulchritudinem *in splendore ordinis* reponendam esse. Et sane, integritas ordo quidam est, non secus atque ipsa proportio perfectionum ad ens integrum spectantium. Deinde decor seu fulgor, quo integritas et proportio prædictæ fulgere debent ut ens aliquod pulchrum dici queat, verus splendor ordinis est. Ergo pulchritudo non est aliud quam ordo tam plenus ac perfectus, ut omnem inordinationem a subjecto pulchro excludat; seu ordo, non qualiscumque, sed splendens et sua plenitudine potentiam illum contemplantem delectans.

260.—Pulchritudo in varias classes dividitur. Alia enim est *substantialis*, alia *accidentalis*; alia *idealis* seu *metaphysica*, alia *realis* seu *physica*; alia *materialis*, alia *spiritualis*; alia denique *creata* et alia *increata*. Substantialis, quæ etiam *essentialis* dici potest, est *illa, quæ omnibus rerum essentiis convenit*: omnis enim essentia integrum quid exhibet in suo esse et in suis partibus proportionatum. Ob hanc tamen pulchritudinem solam nullum individuum cujuscumque speciei vocari potest simpliciter pulchrum; quia ad pulchritudinem individui requiruntur integritas et proportio, non solum in essentialibus sed etiam in naturalibus, et præterea claritas illa superius memorata. Accidentaliter habetur in habitibus et actibus ornamentibus ac nobilitantibus naturam: quæ quidem in specie humana duplicis generis est, *intellectualis* nempe et *moralis*, prout scientias et artes respicit aut sanctitatem morum et complexum virtutum moralium.

261.—Idealis in collectione illarum perfectionum consistit, quas quis mente concipit et in unum idealiter conjungit; ut cum quis, imaginem quamdam hominis pulcherrimi et nunquam ab eo visi in linteo depicturus, ideam hominis perfectissimam sibi in mente efformat, undique collatis perfectionibus, quas in diversis individuis humanis sparsas aliquando vidit. Gradus perfectionis in *exemplaribus ideis* reluctantis ex ingenio, labore atque industria artificis pendet, et sine fine crescere potest. Realis seu physica est *illa, quæ in operibus pulchris mundi externi atque extra intellectum positi invenitur*: quæ quidem in *naturalem* et *artificialem* dispescitur, prout ab Auctore naturæ vel ab aliquo artifice creato juxta regulas artis operante promanat.

262.—Utraque autem, tam naturalis quam artificialis, et *materialis* et *spiritualis* esse potest; prout complexus perfectionum pulchritudinem illam realem constituentium ad ordinem sensibilem vel spirituales spectat. Atque hinc patet quid per pulchritudinem *materialem* et *spiritualem* intelligatur. Sic, ut exemplis rem illustremus, persona aliqua humana pulcherrimo corpore conformata est quædam pulchritudo naturalis et materialis; imago autem hujus personæ industria alicujus pictoris in linteo descripta est pulchritudo quædam materialis et artificialis. E contra anima quædam præclaris virtutibus a suo Conditore ornata est pulchritudo quædam naturalis, vel supernaturalis, pro natura virtutum ei concessarum, et spiritualis; imago vero hujus animæ in linteo sensibilibiter descripta est pulchritudo spiritualis et artificialis.

263.—Denique pulchritudo increata est *ea, quæ in divinis perfectionibus relucet, quamque omnes res creatæ in ideis ipsarum archetypis Dei mente conceptis habent*. Creatura vero pulchritudo est *ea omnis, quæ extra Deum in rebus invenitur; sive a Deo producta fuerit, sive a suis creaturis*.

264.—Circa gradus perfectionis harum omnium pulchritudinum notandum est: 1.^o increatam cæteris omnibus infinite antecellere; licet nos ob imperfectum nostrum percipiendi modum pulchritudine hac pure spirituali et omnino remota a sensibus minus forte percellamur, quam aliis intellectui humano magis perviis: 2.^o spiritualement pariter materiali longe præstare; licet nos ob nostram conditionem sensibilem magis tangamur hac secunda, quam illa prima: 3.^o moralem multo meliorem ac nobiliorem intellectuali existere; quia hæc secunda pertinet ad ordinem physicum et in entibus etiam perfectione sua optima privatis, qualis est suprema beatitudo, inveniri potest; dum e contra illa prima ad ordinem moralem spectat et ad supremam felicitatem recta ducit: 4.^o denique inter omnes quæ ad artes liberales pertinent, oratoriam et poesim primum locum tenere, quia plenius ac perfectius cæteris quodcumque genus pulchritudinis exprimere valent: musicam vero in ultimo loco jacere; quia ex se non nisi ad cordis affectus clare exprimendos sufficit, aliud vero pulchritudinis genus in ideis, in factis historicis et in rerum naturis refulgentis obscure admodum se sola manifestat.

265.—Ad sentiendam et optime concipiendam pulchritudinem ordinis spiritualis nullum medium inveniri aptius potest, quam honesta vita et frequens contemplatio rerum divinarum. Hoc enim modo abstrahitur paulatim animus a voluptatibus sensibilibus et incipit gustare spirituales delicias, quas soli mundi corde capere valent. Idcirco nemo altius ac sublimius de Deo, rebusque divinis loquutus est umquam quam viri sancti et cœlestium rerum contemplationi dediti. Hinc illud Apostoli «Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia» (1).

266.—Potentia qua apprehenditur pulchritudo, est intellectus: hujus enim est ordinem, ut talem, percipere atque illius contemplatione delectari. Hinc longe a veritate aberrant, qui *sensum quemdam pulchri* ab intelligentia et ratione realiter distinctum statuunt;

(1) I. Cor. II, 14-15.

cum omne verum intra illarum objectum contineatur. Dicimus sane *sentire* nos pulchritudinem; non quod actus hic passio quædam sit animi cæca et omni cognitione destituta, sed quia intellectus, illam sine ullo fere discursu percipiendo atque intuendo, passive quodammodo se habet et perceptiones sensuum imitatur.

267.—Aliqua tamen ratione imperfecta et in concreto etiam sensus pulchritudinem, non secus atque ordinem, percipiunt. Sensus enim, ut optime Sanctus Thomas observat (1), ratio quædam est; et ideo delectatur rebus debite proportionatis seu pulchris, utpote sibi similibus. Hoc autem non omnibus sensibus contingit, sed visui tantum et auditui, qui magis ad intellectus perfectionem accedunt. Unde sola horum duorum sensuum objecta dicuntur *pulchra* et *fæda*; aliorum vero non appellantur nisi *grata* vel *in-grata*.

268.—Cum pulchro affinitatem non parvam habet *sublime*, quod quidem *pulchrum altioris ordinis* dici potest. Sublime namque *pulchrum quoddam est tam miræ magnitudinis, ut sua nobilitate atque excellentia intellectum nostrum veluti opprimat et in stuporem quemdam adducat*. Hinc nonnisi in rebus magnis invenitur, umbrisque quibusdam obvolvitur, ut mens quasi divinando ejus majestatem persentiscat; dum e contra pulchrum in rebus etiam parvis se manifestat, luceque undique circumfusum apparet, ut plene atque omni ex parte ab intellectu videatur. Sic ex. gr. *immensitas Oceani, valida aliqua tempestas, sylva aliqua ingens ac silentiosa*, aliaque hujusmodi, quæ mentis nostræ intuitum magnitudine sua longe superant, totidem constituunt objecta sublimia intellectus nostri.

(1) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 5, art. 4, ad 1.^{um}

269.—Nec vero mens, quod objectum sublime comprehendere nequeat aut venerandas ejus umbras depellere, illius contemplatione fatigatur; sed e contra suavissima delectatione perfunditur, multoque vehementius concutitur quam si objectum quodvis simpliciter pulchrum clarissime videat atque comprehendat. Non enim proprie defectu luminis objectum sublime quasi umbris velatum apparet, sed ratione magnitudinis suæ longe captum mentis nostræ superantis altissimamque ideam Infiniti in ea quasi sponte naturæ excitantis.

270.—Denique pulchrum, ex parte veluti sublimi opposita, intime connectitur cum *gratioso*; quod ut *pulchrum quoddam rudimentarium atque inchoatum* haberi debet. Gratia namque non in alio sita esse videtur quam *in ingenuo quodam ac simplici habitu obsecundandi in motibus cum decore naturam, qui negligentiam æque atque affectationem devitet*, ut optime ait Tongiorgi (1): quod quidem quædam pulchri imperfecti species est. Porro gratia non in omni rerum classe invenitur, sed in actibus tantum, gestibus, motibus, iisque objectis, quæ speciem quamdam motus in se ipsis manifestant, ut in curvis et mæandris.

ARTICULUS III.

De perfectione.

271.—Perfectionis nomen ex primaria institutione sua *bonitatem quamdam effectam significat rei illam accipienti congruentem*; nunc autem ex communi loquendi ratione adhibetur ad exprimendam quaecumque bonitatem subjecto congruentem, sive producta sit, sive non. Hinc perfectionem definire licet *illud omne quo aliquid bonum redditur*; et simpliciter perfectum, *illud cui nihil boni deest suæ naturæ convenientis*.

(1) Tongiorgi, *Ontolog.* n. 404,

272.—Intellecta perfectione hoc modo, debemus dicere non solum creaturas sed Deum etiam ipsum veris perfectionibus gaudere: siquidem Deo nihil bonitatis deesse potest, illique proinde natura inest omni ex parte perfectissima.

273.—Perfectio tripliciter considerari potest: *a) ratione scilicet subjecti quod afficit; b) absolute in se ipsa; c) relative seu in ordine ad alias*. Primo modo inspecta dividitur in *completam* et *incompletam*, ac *substantialem* seu *constitutivam* et *accidentalem*.

274.—Completa vocatur *illa, qua ens aliquod dicitur simpliciter perfectum*, ita ut nihil ei desit eorum bonorum, quæ naturæ suæ competere queunt. Et quidem erit *ultimo completa*, quando perfectione etiam *finali* gaudet, suum finem possidendo; secus vero *simpliciter completa*. E contra incompleta est *ea, qua ens dicitur perfectum tantum secundum quid*. Substantialis est *ea, sine qua ens aliquod existere nequit*: accidentalis autem appellatur *illa, quæ supponit ens in suo esse substantiali constitutum et novum quid ei addit ad ejus complementum pertinens*. Exempla facile quivis invenire potest.

275.—Secundo modo considerata perfectio dividitur in *mixtam* et *simplicem*. Mixta dicitur *illa, quæ in conceptu suo formali aliquid exhibet mixtum ex perfectione et imperfectione*, v. gr. *perfectio corporea*. Simplex vero est *ea, quæ in conceptu suo formali exhibet perfectionem puram*, v. gr. *vita, libertas*, etc.

276.—Simplex rursus potest esse vel *nude talis*, vel *simpliciter simplex*. Erit nude simplex, cum in suo conceptu formali nullam quidem imperfectionem dicit, coexistere tamen nequit cum alia sibi æquali in eodem subjecto. Talis est ex. gr. *filiatio divina* quæ ejusdem perfectionis est cum *paternitate pariter divina*, et tamen coexistere nequit in eadem Persona

Trinitatis. Erit vero simpliciter simplex, quando non modo nullam dicit formalem imperfectionem, sed etiam potest coexistere cum alia perfectione simplici, æquali vel majori, in eodem subjecto, v. gr. *sapientia, omnipotentia, æternitas*, etc.

277.—Circa imperfectionem autem notandum est eam duplicis generis esse posse, *privativam* scilicet et *limitativam*: quarum prima in privatione aliqua consistit, ut *cæcitas*; secunda vero in simplici carentia, ut *limes*.

278.—Denique perfectio tertio modo spectata potest esse *major* vel *minor*, secundum quod magis vel minus accedat ad perfectionem summam divini esse, quæ est regula et mensura cujuscumque perfectionis particularis. Perfectio autem aliqua potest esse major altera *intensive* vel *extensive*: *intensive* quidem, quando in sua ratione formali et præscindendo ab omni alia re aliquid ei perfectionis superaddit; *extensive* autem, quando excessus ejus solum resultat ex majori numero individuorum illam possidentium. Sic ex gr. *humanitas* est intensive perfectior *animalitate*, quia ex suo conceptu formali superaddit huic secundæ *rationalitatem*: *homo* autem et *moneta* non sunt quid majus in linea perfectionis quam *homo solus* nisi *extensive*; quia perfectio monetæ jam invenitur æquivalenter et eminenter in perfectione hominis, et solum habet majorem quamdam extensionem existendo in homine et in moneta.

279.—Differentiam perfectionis, tum intensivæ, tum extensivæ, mensuramus per gradus designantes numerum sive *notarum* sive *individuorum* sub aliquo conceptu universali comprehensorum. Et quidem hac in re notare oportet quod jam in Logica observavimus (L. 67), scilicet numerum notarum alicujus ideæ universalis, qui *comprehensio* appellari solet, ac numerum individuorum ejusdem, qui *extensio* dicitur, inversa ratione procedere.

280.—Hinc fit, ut diversæ species rerum crescant in perfectione per additionem gradus ad gradum, non secus ac diversæ species numerorum. Substantia enim fit corporea per additionem *corporeitatis*, corpoream fit vivum per additionem

vitæ, vivens fit animal per additionem *sensibilitatis*, animal fit rationale seu homo per additionem *rationalitatis*.

281.—Ex hac vero doctrina manifeste sequitur unamquamque speciem continere in se vere ac realiter perfectiones omnium specierum inferiorum, idemque asserendum de ente a se seu Deo relate ad perfectiones omnium entium ab alio seu creaturarum; nam ens a se est in scala entium supra omnia entia ab alio, eadem ratione ac species superior est supra omnes species inferiores. Continentia autem hæc non est formalis sed eminentialis, prout explicatione modorum, quibus perfectio esse potest in re aliqua contineri, evidenter patebit. Notandum tamen longe perfectius contineri perfectiones creaturarum in Deo quam perfectiones essentiarum inferiorum in superioribus finitis. In Deo enim continentur tamquam in causa *efficiente, exemplari et finali*, quoniam Deus est principium et finis omnium rerum creabilium: in creaturis autem *simpliciter tamquam in re nobiliori* generatim. Non enim angelus ex. gr. potest virtute sua naturali producere homines aut belluas, licet perfectiones horum entium modo quodam eminente in se contineat.


282.—Perfectio aliqua potest in re quadam contineri *formaliter, virtualiter, exemplariter* aut *eminenter*. Continentur formaliter, quando existit in ea sub illa propria forma et cum illis limitationibus quæ per illius conceptum exprimuntur, ut ex. gr. *rationalitas in Petro*. Continentur virtualiter, quando in ea datur vis ad illam producendam; quo modo continentur in seminibus plantæ et res creatæ in omnipotentia divina. Continentur exemplariter, quatenus refulget in idea exemplari artificis illam in mente suam concipientis et juxta hanc ideam in mundo eam producentis: quem in modum existunt omnes res creatæ in ideis Dei exemplaribus, ad quarum similitudinem sunt factæ. Continentur denique eminentur, quatenus est in illa sicut actus imperfectus in perfecto, sicut numerus ternarius in senario et sicut animalitas in humanitate.

283.— Hoc ultimo modo tantum continentur perfectiones essentiarum seu specierum inferiorum in superioribus et finitarum in infinita. Quia, cum realiter distinguantur essentiae inter se, nulla potest in altera contineri formaliter; et cum nulla prorsus essentia, ut talis, sit vis productrix aut idea exemplaris proprie dicta, perfectio specierum non potest contineri virtualiter aut exemplariter in perfectione superiorum, nec perfectio creaturarum in perfectione Essentiae divinae, ut talis. Res autem omnes finitae virtualiter in Dei omnipotentia continentur, exemplariter autem in ejus intellectu.





SECUNDA ONTOLOGIÆ PARS.



DE DIVERSIS ENTIIUM CLASSIBUS.

284.—Explicatis jam tum natura, tum proprietatibus Entis transcendentalibus, ad diversas nunc entium classes gressus nobis faciendus est. Hinc de entibus: 1.º finito et infinito; 2.º simplici et composito; 3.º necessario et contingente; 4.º mutabili et inmutabili; 5.º substantiali et accidentali distinctis capitibus agemus.

CAPUT PRIMUM.

De finito et infinito.

285.—Finitum dicitur quod habet fines seu limites. Limes autem nihil aliud est quam carentia ulterioris realitatis: unde finitum definitur *illud, quod habet entitatem quamdam limitibus circumscriptam, seu conjunctam cum carentia ulterioris realitatis*. Hinc infinitum, cum e regione opponatur finito, definiri debet *illud, quod positive excludit a se limites seu carentiam ulte-*

rioris realitatis, quodque proinde continet in se omnem realitatem possibilem.

286. — Infinitum hoc essentialiter distinguitur ab *indefinito*. Hoc enim eatenus dicitur infinitum, quatenus habet *potentiam ad crescendo vel minuendum sine fine* per additionem vel subtractionem successivam entitatum; ac proinde non est nisi infinitum quoddam *potentiale*: illud vero est infinitum *actuale* actu continens in se numerum realitatum inexhaustibilem in illo ordine, in quo est infinitum.

287. — Infinitum duplex a nobis concipi potest, aliud nempe *absolutum et simpliciter tale*, aliud vero *relativum et secundum quid*. Primum dicitur *illud, quod in omni ordine est infinitum*, quodque proinde actu continet omnem prorsus realitatem possibilem. Secundum vero appellatur *illud, quod non est infinitum nisi in uno tantum ordine*, quodque proinde non continet in se numerum realitatum inexhaustibilem nisi in illo ordine, in quo infinitum nuncupatur. De utroque hoc infinito duobus distinctis articulis nunc nobis agendum est modo tamen quodam generali, prout Ontologia requirit. Speciales enim quaestiones de infinito absoluto ad Theodiceam spectant; ubi agitur de Deo, qui solus infinitatem absolutam habet.

ARTICULUS PRIMUS.

De infinito absoluto.

Quaestiones de hoc infinito ad Ontologiam spectantes sequentibus propositionibus solventur.

PROPOSITIO PRIMA.

Habemus ideam infiniti absoluti.

288. — *Demonst.* — De infinito hoc saepe loqui solemus et disputare. Atqui impossibile est loqui et disputare de re, cujus non habetur idea. Ergo...

Solvitur quædam difficultas.

289.—Infinitum in finito contineri nequit. Atqui hoc accideret, si haberemus ideam Infiniti absoluti; siquidem objectum continetur in ejus idea, omnis autem idea in nobis existens, utpote modus nostræ intelligentiæ finitæ, est quid finitum. Ergo non habemus ideam Infiniti absoluti.

Resp.—*Dist. maj.*—Infinitum in finito contineri nequit *entitative*, Conc.; *repræsentative*, subdist. *tamquam in vera ejus imagine*, Conc.; *tamquam in imagine illius metaphorica et intentionali*. Neg. Hinc, *concessa minore*, nego *consequentiam sub distinctionibus datis*. Intellectiones nostræ non sunt imagines suorum objectorum nisi metaphoricæ et intentionales. Cum ergo in illis non contineantur repræsentative objecta nisi modo quodam metaphorico et intentionali, bene poterunt ipsum Infinitum absolutum hoc modo repræsentare.

PROPOSITIO SECUNDA.

Idea Infiniti absoluti est omnino positiva ratione objecti per eam expressi; et omnino negativa ratione modi, quo suum objectum exprimit.

290.—*Prob. .1^a p.*—Objectum hujus ideæ est Infinitum absolutum. Atqui hoc est quid omnino positivum; cum positive excludat a se quemcumque limitem ac proinde non contineat nisi puram realitatem. Ergo...

291.—*Prob. 2.^a p.*—Modus, quo hæc idea exprimit suum objectum, est negatio negationis; infinitum enim dicit negationem limitum rebus finitis convenientium, limites autem sunt negationes ulterioris

realitatis. Sed modus exprimendi aliquod objectum per negationem negationis est omnino negativus; quia sic conceptus ex parte modi negat quantum negari quit. Ergo...

PROPOSITIO TERTIA.

Idea Infiniti absoluti ordine generationis non præcedit necessario ideam finiti, imo e contra eam de facto subsequitur.

292.—Est contra Cartesianos dicentes ideam Infiniti absoluti prius haberi in nobis quam ideam cujuscumque rei finitæ; eo quod finitum sit negatio Infiniti, ideoque ad concipiendum finitum debeat jam mens in se habere ideam Infiniti, quod per finitum negatur. Cum Cartesianis consentiunt Ontologi; juxta quos Infinitum absolutum sine ulla intermissione intuitive videmus, res autem finitas non concipimus nisi contrahendo et circumscribendo intuitum Infiniti ope quorundam limitum.

293.—*Prob. 1.^a p.*—Ad concipiendam ideam finiti sufficit nobis, ut res hujus mundi adspectabilis cum suis limitibus propriis menti nostræ objiciantur: sic enim mens eas cum suis limitibus percipiet et limitum ideam adquiret. Atqui res hujus mundi cum suis limitibus propriis menti nostræ objiciuntur: se enim illi exhibent ut sunt in se, viribus scilicet et perfectionibus aliæ aliis inferiores, variationibus subjectæ, augmenti et decrementi in perfectione capaces, ac proinde limitibus undequaque circumfusæ et omnem realitatem possibilem minime in se habentes. Ergo ad concipiendam ideam finiti non est necessarium ut præcedat in nobis idea infiniti; ac proinde idea Infiniti absoluti ordine generationis non necessario præcedit ideam finiti.

294.—Verum quidem est, ad opponendum finitum finito, prærequiri in nobis ideam universalem et absolutam entis, eo

quod conceptus relativus est posterior absoluto. Sed conceptus absolutus, qui supponi debet ante relativum, est conceptus entis ontologici, non vero theologici (123). Ens autem ontologicum non est infinitum absolutum sed potentiale; cum non existat in rerum natura nisi per additionem, ut optime notat D. Thomas per hæc verba: «Quod primo intellectus concipit quasi notissimum et in quo omnes conceptiones resolvit, est ens: unde oportet, quod omnes aliæ conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens» (1).

265.—*Prob. 2.^a p.*—Idea Infiniti absoluti negat limites proprios rerum finitarum. Ergo supponit jam in mente ideam horum limitum. At limites, utpote carentiæ, non possunt concipi in se ipsis sed in rebus positivis illos habentibus. Ergo idea Infiniti absoluti supponit ad sui generationem conceptam jam ideam finiti.

PROPOSITIO QUARTA.

*Idea Infiniti absoluti non est intuitiva sed
discursiva.*

Quid sit idea intuitiva et quid discursiva jam in Logica dictum est (L. 38).

296.—*Demonst.*—Ideam Infiniti absoluti tamquam realis et minime ficti non adquirimus, nisi cum Deum existere certo cognoscimus. Nam cogitando res finitas non concipimus nisi indefinitum, seu finitum capax continui augmenti aut diminutionis. Sed Deum existere certo cognoscere non aliter possumus quam ratiocinando, ut in Theodicea ostenditur. Ergo...

(1) S. Thomas, *De Veritate*, q. 1. art. 1.

PROPOSITIO QUINTA.

Idea Infiniti absoluti non generatur in nobis successiva additione unitatum sed simplici negatione limitum in creaturis existentium.

297.—*Prob. 1.^a p.*—Successiva additione unitatum nihil aliud obtineri potest quam finitum quoddam capax continui augmenti. Atqui hoc non est Infinitum absolutum sed merum indefinitum. Ergo...

298.—*Prob. 2.^a p.*—Concipiendo entia creata et relativa adquirimus ideam entis increati et absoluti. Deinde considerando limites in creaturis existentes et illos negando de ente increato, concipimus ens absolutum positive excludens a se omnem limitem. Sed ens absolutum positive excludens a se omnem limitem est Infinitum absolutum. Ergo illius ideam adquirimus simplici negatione limitum in creaturis existentium.

PROPOSITIO SEXTA.

Infinitum absolutum est ens purum sine ulla admixtione non entis.

299.—*Demonst.*—Infinitum hoc excludit a se omnem limitem seu carentiam ulterioris realitatis: ergo includit in se omnem prorsus realitatem. Sed ens includens in se omnem prorsus realitatem est purus actus, seu ens purum sine ulla admixtione non entis. Ergo... Notandum tamen in Infinito absoluto non contineri perfectiones entium finitorum cum suis limitibus: sic enim limitibus constaret et jam non esset absolute infinitum. Sed perfectiones has continet modo simplici ac eminentiori, sine limitibus scili-

cet entium finitorum propriis. Sed de hoc latius in Cosmologia et Theodicea, ubi absurda Pantheistarum doctrina refellenda est.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Infinittum absolutum esse possibile ex sola illius idea demonstrari nequit.

300.—*Demonst.*—In tantum ex sola Infiniti absoluti idea demonstrari posset ejus possibilitas, in quantum positive videremus ideam infiniti prædicti nullam involvere contradictionem. Sed hoc ex sola illius idea constare nequit: nam hæc exhibet quidem nobis ens purum sine ulla admixtione non-entis, non autem dicit nobis illud esse possibile et minime fictum. Ergo...

Solvitur quædam difficultas.

301.—Infinittum absolutum seu ens infinite perfectum nullam admittit negationem, quia est ens sine non-ente. Ergo nullam involvit contradictionem; quia ad contradictionem requiritur negatio aliqua.

Resp.—Dist. ant.—Nullam admittit negationem, prout a nobis percipitur, Conc.: prout est in se, Subd. in hypothesi quod sit reale et non fictum, Conc.: aliter, Neg. Infinitum absolutum, ut ex demonstratis constat, non concipitur a nobis nisi per negationem negationis; proinde, prout a nobis concipitur, negationem non includit. Prout est in se, excludit quidem negationem in hypothesi quod sit reale; sed hæc hypothesi ex sola illius notione non constat. Ens enim hoc concipimus ut actum purum, mente in unum conjungentes conceptus *actus* et *puri*, quorum compatibilitas ex sola illorum notione nobis positive non constat.

ARTICULUS II.

De infinito relativo.

302.—Infinitum hoc non est tale nisi sub aliqua ratione determinata, atque hac de causa vocatur *infinitum secundum quid*. Potest enim cogitari infinitum in ordine tum *quantitatis*, tum *intensitatis*, etc.; et hoc est quod relativum appellamus.

303.—Circa hujus infiniti possibilitatem non conveniunt auctores. Nam Sanctus Thomas et alii communiter eam oppugnant, et contra Toletus (1), Vazquez (2), Arriaga (3), Oviedo (4) et alii plures cum Nominalibus illam defendunt. Utraque sententia habet pro se rationes validissimas, quas difficile est omni ex parte dissolvere. Quapropter mihi placet opinio illorum, qui cum Conimbricensibus (5) putant nec possibilitatem nec impossibilitatem hujus infiniti posse invictis argumentis ostendi: quamvis, si de sola probabilitate agatur, sententiam Divi Thomæ probabiliorē dicere non renuam.

PROPOSITIO PRIMA.

Non apparet manifesta repugnantia in existentia numeri infiniti actualis et concreti.

304.—Loquimur de numero concreto *hominum, equorum, capillorum*, etc., non autem de abstracto seu *unitatum quarumcumque*. Nam repugnantia numeri infiniti actualis et abstracti est omnino evidens; cum hic numerus deberet continere in se omnes prorsus unitates possibiles, tam scilicet substantias quam modos ipsarum, quod omnino repugnat. Inter

(1) Toletus, *Comment. in 1. p. D. Thomæ*, q. 7, art. 4.

(2) Vazquez, *Comment. in 1. p. D. Thomæ*, disp. 26, c. 1.

(3) *Physic. disp.* 13.

(4) *Phys. controuv.* 14, *punct.* 4. et 5.

(5) Conimbricenses, *in lib. 6. Physic.* cap. 8, q. 2.

modos enim possibles substantiarum dantur multi, qui simul coexistere nequeunt.

305.—*Demonst.*—Repugnantia numeri concreti infiniti et actualis oriri debet aut ex materia aut ex forma ipsius. Atqui nec ex materia nec ex forma numeri prædicti cernitur manifeste oriri. Ergo...

Prob. 1.^a p. minoris.—Eatenus potest oriri hæc repugnantia ex materia numeri concreti v. gr. *hominum*, quatenus unitates numerum conflantes v. gr. *homines* coexistere simul nequeant. Atqui unitates hæ nullam ex se dicunt impossibilitatem simultaneæ existentiae; siquidem sunt res in se absolutæ et tales ut ad existentiam unius non requiratur non existentia alterius. Ergo...

Prob. 2.^a p. minoris.—Eatenus oriretur illa repugnantia ex parte formæ, quatenus concipi non posset quomodo sit multitudo absque termino. Sed hæc ration nulla est. Nam: 1.^o Eadem impossibilitas apparet circa existentiam objectivam hujus multitudinis in mente divina, et tamen in mente divina simul collective existunt per modum objecti omnes homines possibles, qui sunt sine termino. 2.^o Collectivitas, ut talis, non est nisi in mente illam concipientis: unde, si singuli homines possibles sunt in se absque numero, nulla dari posse videtur ratio efficax cur omnes illi simul coexistere nequeant. 3.^o Sanctus Thomas et communis Schola Theologorum tenent mundum posse fieri a Deo ab æterno. Jam vero nulla ostendi potest ratio solida cur non potuisset singulis diebus producere unum angelum et perpetuo illum conservare: hoc autem facto, existeret nunc simul et in actu multitudo inexhaustibilis angelorum seu infinita. 4.^o In continuo sunt infinitæ partes proportionales, quarum una non est alia; et infinita puncta mediata realiter inter se distincta. Quod enim



non sint ad invicem separata, non tollit illorum distinctionem; sicut conjunctio corporis et animæ non impedit quominus hæc ab illo realiter distinguatur. Separatio enim non facit entitates sed illas existentes et separabiles supponit. Ergo... (1)

PROPOSITIO SECUNDA.

Eadem incertitudo regnat circa possibilitatem tam magnitudinis alicujus infinitæ quam vis alicujus creatæ aut qualitatis infinite intensæ.

306.—*Prob. 1.^a p.*—Eatenus repugnaret extensio infinita, quatenus daretur in ea numerus infinitus actualis palmorum, cubitorum; etc. Sed repugnantia hujus numeri infiniti demonstrativis argumentis minime ostenditur. Ergo...

307.—*Prob. 2.^a p.*—Vis et qualitas infinite intensæ ideo repugnarent, quia constarent infinitis gradibus intensitatis. Sed repugnantia hujus numeri nullo argumento demonstrativo evincitur. Ergo...

Solvuntur difficultates.

308.—*Obj. 1.* Numerus est multitudo mensurata per unum. Sed multitudo mensurata per unum manifeste finita est. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Numerus est multitudo mensurata per unum, *sive successive, sive simul*, Conc.; *successive præcise*, Neg. Deinde *dist. min.* Multitudo

(1) De Benedictis (*Philosoph. peripatetica*, tom. 2, lib. 3, Physicæ cap. 6) infinita puncta actu distincta in continuo statuit. Imo Suarez (*Metaphys. disp. 40, sect. 5, n. 48*), non solum puncta sed etiam partes extensas numero infinitas in linea finita admittit.

mensurata per unum *successive et tempore finito* manifeste finita est, Conc.: *secus*, Neg. Multitudo uno actu mensurata a Deo bene potest esse infinita. Præterea, si multitudo vere potest pertransiri tempore infinito, semper remanebit infinita, quamvis successive mensuretur; quia semper habebit aliquam unitatem infinite ab alia distantem. Unde minor solum sub distinctione data concedi potest.

309.—Obj. II. Quicumque numerus infinitus ponatur, sola unitate suum immediate inferiorem superabit. Sed hic erit finitus, quia inter duo extrema continebitur. Ergo una tantum unitate separabitur numerus finitus ab infinito, quod est absurdum.

Resp.—1.^o *Retorqueo argumentum*.—In hypothesi probabili quod mundus fieri potuisset ab æterno, numerus dierum immediate proximus infinito non separaretur ab illo nisi sola unitate. Atqui hoc non reputatur inconveniens contra talem hypothesim: ergo nec reputari debet contra possibilitatem infiniti actualis.

Resp.—2.^o *Neg. min.* et ad ejus probationem *nego consequentiam*. Nam sicut ex finito fieri nequit ascensus ad infinitum additione unitatis, ita ex infinito descendi ad finitum minime possumus unitatis aliqujus subtractione. Numerus ergo immediate proximus infinito erit pariter infinitus, utpote vere inexhaustibilis. Nec refert quod intra duos terminos contineatur; nam unus ex illis est infinite distans ab alio.

310.—Obj. III. Quicumque numerus infinitus continere debet infinitos binarios, infinitos ternarios, infinitos quaternarios, etc. Hoc autem repugnat: quia sic daretur unus numerus infinitus alio major, quod est absurdum.

Resp.—1.^o *Retorqueo argumentum* sicut in responsione prima ad objectionem præcedentem.

Resp.—2.^o *Concedo maj. et nego min.*—Ad hujus probationem *Dist.*: Absurdum est *probabiliter* repugnare ut detur unum infinitum majus alio, Trans.; *evidenter*, Neg. Si possibilis ponatur numerus aliquis concretus infinitus, necessario admitti debet superioritas unius infiniti præ alio. Nam si dentur homines numero infiniti, numerus oculorum erit duplo major, et numerus capillorum sexcenties. Hoc sane non latuit defendentes possibilitatem numeri infiniti, nec propterea a sua opinione eos deterruit. Non ergo potest manifeste absurdum ab homine cordato cogitari, cum defensores hujus possibilitatis homines fuerint acerrimi ingenii, virique prudentes (1). Nec vero dicas perinde esse unum infinitum alio majus admittere atque veram notionem infiniti destruere. Nam hic agitur de infinito, non quocumque, sed *secundum quid*: si autem *hoc quid* simpliciter minus sit *alio quid*, necessario evenire debet ut unum infinitum sit majus alio. Ceterum, si tibi hæc responsio non satisfacit, dicere cum Ferrariensi, Capreolo, Conimbricensibus, Vazquez et aliis gravissimis auctoribus possum infinitum nec fieri majus per additionem aliquarum unitatum finitarum nec effici minus per illarum subtractionem, sed semper remanere infinitum; ac proinde infinitum capillorum v. gr. non esse majus quam infinitum hominum, licet plures unitates contineat (2).

(1) Cfr. Toletus, *Comment. in 1. p. D. Thomæ*, q. 7, art. 4.; De Benedictis, *Philos. peripatetica*, loc. cit., Arriaga, et alios. Præterea omnia, quæcumque adducit in sua Philosophia P. Liberatore ad defendendam possibilitatem creationis ab æterno, hanc in rem inservire possunt.

(2) Cfr. de Benedictis, *Philos. peripatet.* tom. II, lib. 3, q. 5, cap. 6.

CAPUT II.

De simplici et composito.

311.—Simplex dicitur *quod partibus caret*: compositum autem *quod partibus constat ad invicem unitis*. Simplicitas opponitur compositioni sicut unitas divisioni: unde sicut unitas addit enti negationem divisionis, ita simplicitas negationem compositionis. Conceptus tamen simplicitatis minime dicendus est negativus, quia circa rem vere positivam versatur. Imo quo simplicius est aliquod ens; eo perfectius et magis positivum existit, cum modo simpliciori et perfectiori contineat in se perfectiones omnes in aliis ordinis inferioris sparsas (281). Hoc autem intelligendum est de entibus completis: nam elementa ens aliquod constituentia simpliciora quidem sunt composito, ad illius tamen perfectionem non assurgunt.

312.—Partes per simplicitatem negatæ et per compositionem affirmatæ possunt esse *physicæ*, *metaphysicæ* vel *logicæ*: unde pariter compositum in *physicum*, *metaphysicum* et *logicum* distribuitur. Compositum physicum est *illud, quod constat partibus physicis*, v. gr. *homo*. *Metaphysicum* est, *quod constat partibus metaphysicis*, ex. gr. *humanitas*, cujus partes metaphysicæ sunt *animalitas* et *rationalitas*. Logicum denique est *illud, quod constat partibus logicis*, v. gr. *compositum ex genere et differentia*; tam enim genus quam differentia sunt entia pure logica seu rationis. Cum autem simplex composito opponatur, triplex pariter detur genus simplicitatis necesse est, secundum quod res partibus physicis, metaphysicis, aut pure logicis careat.

313.—Deinde partes compositi possunt esse *constitutivæ*, *integrales*, vel *accidentales*. Primæ constituunt ens in suo esse, ac proinde ad ipsam ejus essentiam

spectant: secundæ supponunt illud in suo esse jam constitutum, eique superaddunt aliquam perfectionem, qua in se ipso integrum redditur: tertiæ denique conferunt illi aliquam perfectionem accidentalem, eique nullo modo necessariam. Unde compositum etiam dividitur secundo in *essentiale*, *integrale* et *accidentale*; prout partibus constet sive constitutivis, sive integralibus, sive accidentalibus. Partes autem integrales sunt *homogenæ* vel *heterogenæ*, secundum quod sint ejusdem vel diversæ rationis.

314.—Circa partes constitutivas compositi sive physici, sive metaphysici, sive logici notandum est, eas ingredi in constitutionem compositi sive per modum *materiæ* aut elementi determinabilis, sive per modum *formæ* aut elementi determinantis. Sic in constitutionem *hominis corpus* ingreditur ut elementum determinabile, *anima* vero ut elementum determinans; in constitutione *humanitatis animalitas* est quasi materia, *ratio* quasi forma; in constitutione denique cujuscumque compositi logici *genus* est ad instar materiæ et *differentia* ad instar formæ (1).

315.—Quod secundum unam rationem est simplex, potest esse compositum secundum aliam. Sic *aurum* ex. gr. est substantia quædam simplex secundum considerationem chemicam, composita autem secundum considerationem philosophicam: *anima* humana est simplex quoad suam substantiam, composita vero quoad suas vires et qualitates. Generaliter dici potest in omnibus entibus creatis, quantumvis simplicibus, inveniri aliquod genus compositionis; quia saltem constabunt ex essentia et existentia, cum existentia non sit eis metaphysice essentialis. Solus Deus est omni ex parte simplex, quia ille solus excludit a se omnem prorsus potentialitatem seu capacitatem receptivam.

316.—Notio *compositi* affinitatem aliquam habet cum idea *totius*; ab ea tamen aliquo modo differt. Compositum enim tunc solum dicitur totum, quando nihil ei deest ex his, quæ ad

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 15, sect. 11.

eius integritatem spectant: unde *manus hominis* ex. gr. quatuor tantum digitos habens compositum sane quoddam est; non autem totum, quia deficit ei unus digitus.

CAPUT III.

De necessario et contingente.

317.—Necessarium dicitur *quod invincibiliter est determinatum ad unum*, seu *quod ita est, ut non possit non esse*. E contra contingens vocatur *quod est ex se indifferens ad existendum vel non existendum*, seu *quod ita existit, ut potuerit non existere*.

318.—Necessitas potest esse *metaphysica, physica vel moralis*, secundum quod determinatio ad unum in ente aliquo oriatur ex principiis ad ordinem metaphysicum, physicum vel moralem spectantibus (L. 306). Deinde necessitas dividitur in *absolutam* et *conditionatam*, prout determinatio ad unum sit independens ab omni conditione vel ab aliqua dependeat. Hinc ens aliquod potest esse necessarium *metaphysice, physice, moraliter, absolute* vel *hypothetice*. Sic Deus necessitatem absolutam involvit, essentiae autem metaphysicae rerum finitarum non exprimunt nisi quid hypothetice necessarium (20): necessitas essentialium metaphysicarum est metaphysica, altera autem essentialium physicarum est physica, et sic porro.

Quæ de necessario ac contingente scire oportet, sequentibus thesibus exponentur.

PROPOSITIO PRIMA.

Quod absoluta necessitate constat, tam principio quam fine caret.

319.—*Demonst.*—1.^o Quod absoluta necessitate constat, vi ipsius essentiæ suæ est determinatum ad existendum. Sed quod vi suæ propriæ essentiæ est determinatum ad existendum, et principio et fine caret: quia existentia est ei essentialis; ac proinde semper ei inest, sicut ipsa essentia. Ergo... 2.^o Quod principium aut finem habet, ex se est indifferens ad existendum, ideoque non est absolute necessarium. Ergo omne habens principium aut finem essentialiter distinguitur ab absolute necessario; seu quod idem est, nihil absolute necessarium habere potest principium aut finem.

PROPOSITIO SECUNDA.

Quod est contingens, et principium habet et finem habere potest.

320.—*Demonst.*—Quod est contingens, est ex se indifferens ad existendum vel non existendum; et non existit nisi mediante actione alicujus causæ libere illud producentis et conservantis. Sed quod ita existit, principium habet et finem habere quit; cum tota ejus existentia ex libera alterius voluntate dependeat. Ergo...

CAPUT IV.

De mutabili et immutabili

321.—Mutabile est *illud, quod diversos status acquirere potest*: immutabile e contra dicitur *quod incapax est diversorum statuum*. Hinc mutatio definiri potest: *Transitus ex uno statu in alium*.

322.—Mutatio duos terminos postulat, *a quo* scilicet et *ad quem*. Terminus a quo est status ille, *quem sua mutatione amittit ens mutabile*: terminus autem ad quem est status aller, *quem ens prædictum sua mutatione acquirit*. Porro mutatio denominationem suam accipit, non quidem a termino a quo, sed a termino ad quem: unde tot dantur species mutationis, quot sunt diversi status ad quos entia suis mutationibus pertingere queunt.

323.—Hinc mutatio dividitur primo in *accidentalem* et *substantialem*. Prima habetur, cum terminus ad quem est aliquid superveniens enti jam in suo esse constituto: secunda vero, cum terminus prædictus est quid pertinens ad essentiam ipsius entis mutati. Sic *frustulum ceræ* ex. gr. transire potest ex *rotundo* in *quadratum*, ex *quadrato* in *triangularem* etc.; et quia hæ formæ ab eo successive acquisitæ relinquunt illud semper idem in suo esse *ceræ*, mutationes hæ sunt accidentales. Si vero frustulum hoc per actionem agentis cujuscumque in aliam substantiam transformaretur, ita ut desineret esse cera et inciperet esse alia quædam substantia; tunc mutatio facta foret substantialis.

324.—Secundo dividitur mutatio in *generationem*, *corruptionem* et *conversionem*. Prima facit rem transire ex privatione ad formam, ut cum corpus ex opaco fit lucidum: secunda facit illam transire ex forma

ad privationem, ut cum corpus ex lucido fit opacum: tertia facit eam transire ex una forma in aliam, ut cum corpus ex viride fit album aut ex albo viride. Tertio dividitur mutatio in *absolutam* et *relativam*. Prima indicat *mutationem entis totalem in suo esse*, ut cum aliqua substantia transit ex statu meræ possibilitatis ad statum actualitatis vel e converso: secunda vero exhibet mutationem *partialem* et *pertinentem*, non ad totum ens, sed ad aliquid sui; ut cum homo ex. gr. moritur, pereunte ejus vita quoad esse corporis, non autem animæ.

325.—Quarto denique mutatio dividitur in *intrinsecam* seu *realem* et *extrinsecam* seu *logicam*. Prima habetur, *cum res mutata, vi ipsius mutationis, adquirit vel amittit aliquam realitatem seu perfectionem*; ut cum anima ex non cogitante fit cogitans vel ex una cogitatione ad aliam transit. Secunda autem tunc existit, *cum acquisitio vel amissio perfectionis habetur, non in re quæ denominatur mutata, sed in alia illi extrinseca, quæ novam quamdam ei denominationem confert*; ut cum, absque ulla reali mutatione in me facta, ego constituor ad dexteram Petri per solam illius mutationem.

His præjactis, quæ de entibus mutabili et immutabili scienda sunt, sequentibus continentur.

PROPOSITIO PRIMA.

Ens absolute necessarium est omnino immutabile; et e converso ens omnino immutabile est absolute necessarium.

326.—*Prob. 1.^a p.*—Ens absolute necessarium nequit mutari sive quoad suum esse, quia principio et fine caret; sive quoad suos modos essendi; quia sicut vi essentiæ suæ habet suum esse, ita vi ejusdem es-

sentiaë habet determinatum suum modum essendi et non alium. Ergo...

327.—*Prob. 2.^a p.*—Si ens immutabile non foret absolute necessarium, acciperet suam existentiam ab alio. Sed hoc repugnat; quia sic jam non esset omnino immutabile, cum transiret ex non esse ad esse. Ergo ens omnino immutabile est absolute necessarium.

PROPOSITIO SECUNDA.

Ens contingens est essentialiter mutabile et vicissim.

328.—*Prob. 1.^a p.*—Ens contingens est de se indifferens ad existendum vel non existendum. Sed quod est ita indifferens, est essentialiter mutabile; quia potest transire ex non esse ad esse et ex esse ad non esse. Ergo...

329.—*Prob. 2.^a p.*—Ens subjectum mutationi, vel ponitur tale quoad suum esse, vel quoad suos modos essendi. Si *primum*; est manifeste contingens, cum sit ex se capax non habendi existentiam. Si *secundum*; mutabilitas quoad modos essendi arguit mutabilitatem quoad ipsum esse; quia sicut est esse, ita est modus essendi. Ergo in omni casu ens natura sua mutabile est necessario contingens.

CAPUT V.

De entibus substantiali et accidentali.

Ens substantiale dicitur *substantia*, accidentale vero *accidens*: hinc de substantia et accidente in hoc capite nobis agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De notionibus substantiæ et accidentis.

330.—Substantia, ut ipsum nomen dicit, est *illud, quod substat accidentibus*. Nomine autem accidentis intelligitur *illud, quod est præter essentiam physicam alicujus rei, quodque proinde advenit enti jam in suo esse constituto et indiget illo tamquam subjecto, cui inhæreat*.

331.—Notandum tamen ad rationem substantiæ non satis esse ut res accidentibus quomodocumque substat; sed requiri ut illis *primo* substat, ita ut sit *primum subjectum* illorum, seu nulla alia re indigeat tamquam subjecto sustentante. Nam unum accidens potest etiam substat alteri accidenti: et tamen non est substantia, quia non substat *primo* et *ut quod* sed *secundo* et *ut quo*; cum ipsum vicissim indigeat subjecto sustentante. Sic *quantitas* v. gr. sustentat in se *odorem, colorem, saporem* et alias qualitates sensibiles, quæ sunt vera accidentia corporum: et tamen non est substantia, quia ipsa sustentatur a corpore quanto et est reale accidens illius.

332.—Notandum etiam ad rationem accidentis non sufficere ut res aliqua ab alia quomodolibet sustentetur in suo esse et in ea existat; sed requiri ut ex re sustentante et ex sustentata unum tantum ens resultet. Nam substantia subest quidem aliis tamquam sustentaculum vel fundamentum illorum; sed efformat unum ens cum eis, tamquam verum eorum subjectum. Sic ex *quantitate* et ex *substantia materiali* unum efficitur *ens quantum*; ex *Petro* et *colore* unum resultat *ens coloratum*, etc. Ni ita foret, res omnes finitæ essent accidentia quædam substantiæ divinæ; quia omnes sustentantur a Deo in suo esse, in eoque existunt *tamquam in causa eas creante et conservante*: unde vera esset doctrina Pantheistarum unam ponentium substantiam, quod absurdissimum est cogitare.

333.—Ex dictis constat, in verbo *substandi* et in nomine *substantiæ* ab eo desumpto duas rationes seu proprietates indicari: una est *absoluta*, scilicet essen-

di in se ac per se; quam nos propter ejus simplicitatem per negationem essendi in subjecto declaramus: alia est quasi *respectiva*, sustentandi nempe accidentia. Respectiva est prior quod ad impositionem nominis: quia nos ad cognitionem substantiarum non nisi ex cognitione accidentium assurgimus; ac proinde prius eas concipimus sub ratione relativa sustentandi accidentia quam sub absoluta essendi in se et per se. Quod vero ad rem ipsam, absoluta est prior, imo et ex se sola sufficiens ad veram notionem substantiæ. Nam in Deo perfectissima ratio substantiæ reperitur, quia maxime est in se ac per se; etiamsi accidentibus non substat (1).

334.—Notionem substantiæ sine discursu formali adquirimus ex consideratione tum rerum nobis externarum, tum etiam nostri ipsius esse. Tam enim in nobismetipsis quam in rebus mundi externi animadvertimus aliquid fixum atque invariabile in fluxu et refluxu accidentium perseverans. Et quia hoc fixum et immobile quasi substans accidentibus variabilibus eaque in se sustentans apprehendimus, ideo *substantiæ* nomine designamus. Est tamen notio prædicta *abstractiva* et non *quidditativa*; quia nos ex accidentibus pervenimus ad cognitionem substantiæ et per habitudinem substandi eam primo concipimus; unde ipsam proprietatem absolutam essendi in se ac per se propter ejus simplicitatem per negationem essendi in subjecto declaramus, et substantiam definimus *ens existens in se ac per se, seu non indigens ad existendum alio, cui tamquam subjecto inhæreat*; quæ notio prorsus abstracta est (2).

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 33, sect. 1, nn. 1-2.

(2) Cfr. Suarez, *loc. cit.*

ARTICULUS II.

De existentia tum substantiarum, tum accidentium; ac de natura distinctionis, qua ab invicem differunt.

§ I. AN CONCEPTUS SUBSTANTIÆ SIT REALIS ET AN IN MUNDO PLURES EXISTANT SUBSTANTIÆ.

335.—Lockius conceptum substantiæ pure logicum existimavit (L. 46), substantiamque definivit: *Complexum qualitatum, quas mente percipimus, ignota ratione existentium* (1). Spinoza vero, quem omnes Pantheistæ sequuntur, conceptum quidem substantiæ realem admisit: ast unicam posuit substantiam infinita cogitatione et extensione præditam, resque omnes finitas tamquam accidentia et modificationes illius consideravit. Denique Monistæ Mundum et omnia entia finita in unam conflari substantiam contendunt, sive simplicem et ex integro singulis rebus sensibilibus substantem, sive ex quamplurimis partibus nexu quodam physico inter se unitis harmonice compositam (2). Contra hos omnes sint theses sequentes.

PROPOSITIO PRIMA

*Conceptus substantiæ non est purum figmentum
rationis sed realis et objectivus.*

336.—*Demonst.*—1.^o Tam vera ac realis est unitas, quæ in entibus hujus mundi nobis exhibetur, quam varietas. Sed quod semper unum in fluxu et refluxu accidentium illud afficientium perseverat, dicitur *substantia*. Ergo... 2.^o Si conceptus substantiæ foret pure subjectivus, idem omnino dicendum esset de

(1) Locke, *Essai philos. concer. l'entend. hum.* l. 2. ch. 23.

(2) Cfr. P. Pesch, *Inst. Philos. natur.* n. 259 et seqq., ubi de monismo late tractatur.

conceptu accidentium; hæc enim non percipiuntur a nobis tamquam existentia in se ipsis, sed in substantia, cui inhærent. Sic *albedinem* percipimus tamquam existentem in *subjecto albo*, quod *substantiam* nominamus, et non in semetipsa subsistentem. Sed falsum prorsus est conceptum accidentium esse pure subjectivum; quia sic omnia ista, quæ oculis cernimus, essent pure subjectiva et in absolutum scepticicis- mum incideremus. Ergo... 3.º Tam ideæ quam verba et operationes omnes totius generis humani procedunt in suppositione quod conceptus substantiæ in nobis non sit minus realis et objectivus quam conceptus accidentium. Ergo negare suam objectivitatem conceptui prædicto idem est ac dicere totum genus humanum in hoc iudicio aberrare. Sed hoc asseri nequit, ut constat ex dictis in Logica circa veracitatem sensus communis. Ergo... 4.º Denique, vel accidentia, quæ Lockius admittit, existunt in se ipsis, vel in alio. Si *primum*; tot erunt in mundo substantiæ quot accidentia, ac proinde conceptus substantiæ erit realis et objectivus. Si *secundum*; illud aliud in quo existunt, existet in se vel in alio, et sic porro. Ergo, cum non sit procedere in infinitum, debemus dicere accidentia prædicta existere in re, quæ non existit in alio tamquam in subjecto, quæque proinde est *primum subiectum* illorum et vera substantia.

Solvuntur difficultates.

337.—Obj. I. Nec sensatio, nec reflexio capaces sunt generandi in nobis ideam substantiæ. Ergo conceptus illius, quem habemus, est mera fictio mentis nostræ.

Resp.—*Trans. ant. et neg. cons.*—Præter sensationem enim et reflexionem lockianam habemus abs-

tractionem spontaneam intellectus, qua præcise ideas rerum abstractas nobis efformamus (172). De origine idearum lockiana in Psychologia disseremus.

338.—Obj. II. Ignotum prorsus nobis manet quid sit in se hoc sustentaculum accidentium, in quo ratio substantiæ reponitur. Ergo rejici omnino debet.

Resp.—*Dist. ant.*—Ignotum nobis manet etc., id est, *non cognoscimus in se ipsis substantias rerum, ac proinde non habemus ideas quidditativas illarum*, Conc.: *non cognoscimus eas nec etiam in accidentibus, quibus afficiuntur, ac proinde non habemus ideas illarum saltem abstractivas*, Neg. Substantias per earum accidentia conceptu quodam abstractivo cognoscimus ac proinde notionem substantiæ a notione accidentium optime secernimus. Falsum ergo est substantias rerum esse nobis prorsus ignotas (22).

PROPOSITIO SECUNDA.

Dantur plures substantiæ distinctæ.

339.—*Demonst.*—I.^o Experientia, tum externa tum interna, nobis testatur dari plures substantias realiter distinctas. Sed experientia hæc est debitis conditionibus ornata; utpote constans, universalis, invincibilis et in ipsa rerum evidentia fundata, quantum esse potest alia quævis. Ergo, juxta demonstrata in Logica de veracitate sensuum ac conscientiæ, dicendum est plures existere substantias realiter distinctas. *Prob. maj.* Sensus externi nobis referunt existentiam quamplurium entium suis propriis limitibus circumscriptorum et ab aliis distinctorum, quæ totidem sunt subjecta permanentia accidentium illa afficientium. Conscientia autem propria unicuique

testatur suam ipsius personalitatem indivisam in se et ab omni alia divisam existere, seu substantiam esse ab omni alia distinctam. Ergo. 2.^o Si unica existeret substantia, hæc aut simplex foret aut ex partibus composita. Si *primum*; res prorsus contrariæ et incompatibiles deberent de ea prædicari, ut quod sit *quadrata, rotunda, corporea, incorporea, extensa, inextensa*, etc.; quod repugnat. Si *secundum*; partes illius in mortifero et intestino bello sine ulla intermissione in invicem pugnarent. Vegetalia enim ex mineralium, animantia ex vegetalium, et homines ex vegetalium animantiumque destructione vivunt: quæ quidem totidem essent partes substantiæ prædictæ. Hoc autem absurdissimum est: nam partes ejusdem totius nullo unquam bello intestino gaudent, sed e contra harmonice omnes in eundem finem conspirant. Ergo...

Solvuntur difficultates.

340.—Obj. I. Substantia est quod existit in se. Atqui omnes res finitæ existunt in substantia infinita. Ergo nulla alia substantia existit præter infinitam.

Resp.—*Dist. maj.*—Substantia est quod existit in se *tamquam in subjecto*, Conc.: *tamquam in causa*, subd. *si sermo fiat de substantia increata*, Conc.: *si de creatis*, Neg. Deinde *dist. min.* Omnes res finitæ existunt in Deo *tamquam in causa efficiente et conservante*, Conc.: *tamquam in subjecto, cui inhærent*, Neg. Hinc *sub datis distinctionibus neg. cons.* Res finitæ existunt in Deo, non sicut accidens in subjecto aut ad modum quo existit cogitatio mea in meo intellectu, efformando scilicet unum ens cum illo, sed sicut sustentatum in sustentante et statua quædam in ejus basi, constituendo scilicet entia realiter ab eo distincta.

341.—Obj. II. Conceptus substantiæ exhibet quid absolutum. Sed nihil est absolutum nisi Deus. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Conceptus substantiæ exhibet quid absolutum, id est, *non dependens ab alio, cui inhæreat tamquam subjecto*, Conc.: *nullo modo dependens ab alio, subd.* conceptus substantiæ *divinæ*, Conc.: conceptus substantiæ *ut sic*, Neg. Deinde *dist. min.* Nihil est *omnino* independens ab alio nisi Deus, Conc.; nihil est independens ab alio, *tamquam a subjecto inhærentiæ*, nisi Deus, Neg. Denique *sub dat. dist. neg. cons.* Res creatæ dependent a Deo, tamquam a causa efficiente; non autem tamquam a subjecto, cui inhæreant, unum ens cum illo efformando.

342.—Obj. III. Si aliqua substantia produceretur ab alia, esset quid essentialiter relativum. Sed quod est essentialiter relativum, vocatur *accidens*. Ergo nihil productum potest esse substantia.

Resp.—*Conc. maj. dist. min.* Aliquod essentialiter relativum vocatur accidens, Conc.: *omne*, Neg. Hinc sub data distinctione *negatur consequentia*. Omnis substantia producta dicit relationem essentialem ad Deum sicut creatura ad suum Creatorem. Sed non ideo reputari debet *ut accidens substantiæ divinæ*; quia dicit relationem ad Deum, non tamquam subjectum seu causam materiale, sed tamquam motorem primum et causam efficientem.

Inst.—Una et eadem substantia potest esse subjectum oppositorum accidentium. Ergo ex accidentium oppositione nequit legitime inferri pluralitas substantiarum.

Resp.—*Dist. ant.*—Potest esse *successive*, Trans.: *simul*, subd.: *si sit substantia composita*, Trans. *si sit simplex*, Neg. Jam vero adversarii in una et eadem substantia simplici simul ponerent accidentia opposita.

§ II. AN ADMITTENDA SINT ACCIDENTIA ALIQUA A
SUBSTANTIA REALITER DISTINCTA.

343.—Cartesiani nihil aliud in mundo admittunt præter substantias: unde omnia prorsus accidentia dicunt logice tantum distingui a substantia, cui inhærent. Scholastici autem e contra tenent duplicis generis accidentia esse distinguenda: alia scilicet *absoluta* et substantiis similia, quæ naturaliter quidem nonnisi in substantia existere possunt, absolute tamen virtute divina extra illam conservari queunt; alia vero *relativa*, quæ non aliter a substantia separari valent quam per ipsorum destructionem, quæque proinde nullo modo conservari queunt extra substantiam quam modificant. Prima accidentia *realiter* distingui a substantia asserunt, quia sunt res quædam separabiles ab illa et absolute capaces existendi in semetipsis. Secunda vero non realiter sed *ex natura rei* a substantia distingui docent; quia distinguuntur quidem vere a substantia, cum separari ab ea possint; sed non distinguuntur plene, cum extra eam nullo pacto conservari queant. Nos Cartesianorum sententiam falsam omnino reputamus: existentiam enim accidentium relativorum seu *modorum* ex natura rei a substantia distinctorum ut certam habemus, accidentium vero absolutorum ut probabiliorum. Sint ergo sequentes propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

*Dantur in rebus accidentia quædam,
quæ distinctione reali et non mere logica, distinguuntur
a substantiis quas modificant.*

344.—*Demonst.*—1.^o Nequit dari actio sine termino per eam producto; siquidem repugnat actio, qua nihil agatur. Sed si non existerent accidentia prædicta, daretur actio sine termino per eam producto: nam actio ex. gr., qua ego cogito existentiam Petri, non habet pro termino producto animam meam,

cum hæc jam debeat præexistere ad illam causandam, neque aliquid aliud ex natura rei distinctum ab anima mea, ut contendunt Cartesiani. Ergo... 2.^o Si omnia accidentia substantiarum cum illis ex natura rei identificarentur; ubicumque essent substantiæ, invenirentur etiam sua accidentia: nulla enim res separari potest a semetipsa. Sed hoc minime accidit: nam substantia animæ meæ ex. gr. existit nunc et tamen non existunt in ea cogitationes, quibus aliquando fuerat informata. Ergo dantur in rebus quædam accidentia, quæ distinctione plus quam logica distinguuntur à substantiis suis. 3.^o In hypotesi cartesianâ quam oppugnamus, non datur medium evadendi errorem Pelagianorum confundentium ordinem naturalem cum supernaturali. Nam juxta illam actus nostri salutes, habitus supernaturales Fidei, Spei et Charitatis, gratia sanctificans et lumen gloriæ non distinguuntur nisi distinctione logica ab essentia animæ, ac proinde a parte rei cum illa identificantur: quod est confundere rem intrinsece supernaturalem cum mere naturali. Ergo... 4.^o Denique, si accidentia nullam ponunt in substantia realitatem ex natura rei distinctam ab illa; nulla erit difficultas in eo, quod Deus etiam accidentibus subjiciatur: siquidem nihil realitatis acquireret ex eorum accessione, aut amitteret ex illorum abscissione. Sed hac ratione pantheismo sternitur via docenti Deum animam esse mundi perpetuis mutationibus obnoxiam et nihil realitatis per eas adquirentem aut amittentem. Ergo... (1).

(1) Cfr. præelara P. Losadæ dissertatio de philosophia cartesianâ, quæ invenietur in principio sui tractatus *De Physica*.

Solvuntur difficultates.

345.—Obj. I. Si substantia distinctione plus quam logica distingueretur a suis modis; dari posset aliqua substantia, quæ nullo modo existeret. Sed substantia nullo modo existens repugnat. Ergo...

Resp.—*Dist. mai.*—In nostra doctrina dari posset aliqua substantia, quæ nullo modo *physico* existeret, Trans.: nullo modo etiam *logico*. Neg. Deinde *contrad. min.* Substantia nullo modo *etiam logico* existens repugnat, Conc.: nullo modo *physico* existens, Neg. Duplex est modus, alius physicus et alius logicus. Primus existit in rebus independenter a cogitatione nostra, secundus autem non existit in rebus nisi prout a nobis conceptis. Sine hoc secundo modo ne substantia quidem divina existere quit: sine primo autem existit Deus, in quo nullum compositionis genus invenitur. Imo, loquendo de modis physicis *singillatim sumptis*, sine ullo illorum existere possunt ipsæ substantiæ creatæ, saltem simplices; quia nullus ex illis est eis essentialis.

346.—Obj. II. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Atqui sententia statuens modos ex natura rei distinctos a substantia per eos modificata multiplicat entia sine necessitate: nam sine ullo ex his modis explicari rerum mutationes possunt ponendo in illis diversas relationes. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min. cum ejus probatione.*—Cartesiani quidem ita conantur explicare reales entium mutationes; dicendo scilicet per illas non produci in rebus nisi relationes quasdam novas. Sed explicatio hæc nihil prosus valet: nam omnis relatio realis nova debet necessario fundari in aliqua forma seu realitate nova, quæ superveniat substantiæ jam in

suo esse constitutæ, quæque verus modus physicus sit ab illa ex natura rei distinctus.

347.—Obj. III. Juxta nostram doctrinam figura corporum et præsentia localis erunt duo modi physici a substantia illorum ex natura rei distincti. Sed hoc admitti nequit: nam omne corpus est essentialiter figuratum et locatum, ac proinde figura et præsentia localis ad essentiam corporis spectat. Ergo...

Resp.—*Trans. maj. et neg. min.*—Ad probat. *dist.* Omne corpus est essentialiter figuratum et locatum *aliqua figura et præsentia locali indeterminate sumptis*, Conc.: *aliqua figura et præsentia locali determinatis*. Neg. Deinde sequelam ex illa deductam pariter *dist.*: *Aliqua figura et aliqua præsentia localis indeterminate sunt de essentia corporum*, Conc.: *aliqua figura et aliqua præsentia localis determinate*, Neg. Hinc bene accidere potest, ut *singulæ* figuræ et præsentiaæ locales sint res ex natura rei distinctæ a substantia corporea; cum nulla illarum in particulari sit ei necessaria ad existendum.

PROPOSITIO SECUNDA.

Inter accidentia a substantia distincta quædam existere prorsus nequeunt extra subjectum, modique vocantur; alia vero per virtutem divinam extra illud conservari queunt atque accidentia absoluta dicuntur.

348.—*Prob. 1.^a p.*—De notione quorundam accidentium est actualis inhæsiō, ita ut existere nequeant nisi actualiter inhærendo. Sic *actualis inhærentia* alicujus formæ, *unio substantialis* animæ et corporis, *figura* et *motus* alicujus corporis, aliaque sexcenta sunt talia, ut in conceptu suæ existentiaæ formaliter

contineatur actualis inhæsiō. Ergo hæc accidentia, quamvis ex natura rei distinguantur a subjecto per eā informato, existere tamen nequeunt nisi in ipso subjecto. Idcirco, ut optime cum Fonseca notat Suarez (1), hujusmodi accidentia non sunt proprie entia sed *aliquid entium*; quia eorum esse est *inesse* seu actualiter inhærere.

349.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Dantur entia tam perfecta in essendo, ut non indigeat ad existendum alio, cui tamquam subjecto inhæreant: et e converso dantur alia entia tam imperfecta in essendo, ut existere prorsus nequeant extra subjectum quod afficiunt et a quo vere distinguuntur. Ergo debent dari entia alia inter hæc duo intermedia; quæ scilicet naturaliter nonnisi aliis inherendo existere possint, supernaturaliter autem et divinæ omnipotentiae virtute sine actuali inhærentia conservari queant. 2.^o Accidentia panis et vini remanent in Eucharistia sine subjecto, ut docet fides. Sed accidentia hæc sunt aliquid panis et vini et unum ens cum illis constituens, quando illorum substantiis inhærent; ac proinde ut vera accidentia absoluta considerari debent. Ergo...

Solvuntur difficultates.

350.—Obj. I. Si darentur accidentia absoluta, a substantiis essentialiter non differrent; quia absolute existere in se ipsis et sine subjecto possent. Ergo non forent accidentia sed veræ substantiæ.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad ejus prob. *neg. cons.* Substantiæ naturaliter existunt in se ipsis et sine subjecto; accidentia vero absoluta nequeunt existere naturali-

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 7, sect. 1, n. 19.

ter nisi in subjecto. Ergo essentialiter distinguuntur non solum a modis, sed etiam a veris substantiis.

351.—Obj. II. Accidentia eucharistica sunt aliquid panis et vini, non quidem *intrinsecum* atque ex substantiis progerminans, sed *extrinsecum* et has substantias ita circumvolvens, ut unum quid cum illis in ordine ad suas actiones constituent, quamdiu hæ substantiæ illis subsunt. Substantiæ enim materiales æthere quodam immersæ existunt, per quod actiones suas exercent ac sensibiles redduntur. Ergo ex prædictis accidentibus nihil pro doctrina aristotelica de accidentibus absolutis confici potest. (Ita Cartesiani cum P. Maignan). (1)

Resp.—*Neg. ant.*—Ad prob. *respondeo*: 1.º Puram esse hypothesim illud quod de immersione substantiarum materialium in quodam æthere imponderabili fingunt Cartesiani ad suum systema atomicum de constitutione corporum defendendum. 2.º Juxta hanc doctrinam accidentia eucharistica non exitura unquam sine subjecto. Nam abeuntibus substantiis panis et vini, succedent in earum officium corpus et sanguis Christi; quæ illis accidentibus suberunt non minus quam substantiæ prædictæ, quæque proinde vera subjecta illorum dici debebunt. Et sane, æther memoratum pure instrumentaliter se gerit in ordine ad actiones substantiarum quas ambit; et eatenus est accidens illarum, quatenus eis ad operandum inservit. Atqui non minus inservit corpori et sanguini Christi ad hoc munus, quam inserviebat substantiis panis et vini. Ergo verum accidens erit corporis et sanguinis Christi. 3.º Corpus Christi in Eucharistia existens ratione horum extraneorum accidentium vocandum esset *album, rotundum, odoriferum, palpabile, etc.*;

(1) Maignan, *Appendice V. ad Philosophiam sacram.*

quod nullo modo admitti potest. Ergo hypotesis hæc ut parum consona doctrinis fidei haberi debet; ac proinde sententia Scolasticorum de accidentibus absolutis tenenda est. Sed de hoc latius in Theologia.

ARTICULUS III.

De diversis substantiarum speciebus.

352.—Post consideratam naturam tum substantiæ, tum accidentis, ad diversas utriusque species declarandas nunc gradus nobis faciendus est. Atque ut in hoc articulo de substantiis loquamur, primum diversas substantiarum classes enumerabimus, deinde vero de natura et supposito aliquid dicemus.

§ I. QUENAM SINT PRÆCIPUÆ SUBSTANTIARUM SPECIES.

353.—Aristoteles divisit substantiam in *primam* et *secundam*. Primam dixit esse quamcumque substantiam concretam in rebus existentem, qualis est v. gr. *Petrus*, definivitque hoc modo: *Ens, quod nec de alio prædicatur, nec in alio tamquam in subjecto existit*. Et sane, substantia concreta in nulla alia existit tamquam in subjecto, nec de re quavis prædicari potest; cum secus esset prædicatum illius atque in illa tamquam in subjecto existeret. Secundas vero vocavit rationes omnes genericas et specificas, quæ de primis prædicantur. Unde illas dixit *non esse in subjecto*, eo quod non sunt accidentia sed veræ substantiæ abstracte conceptæ; *de subjecto tamen prædicari*, quia sunt quædam rationes universales, quæ ad inferiora sub illis contenta sese extendunt.

354.—Porro hunc loquendi modum Aristoteles ideo amplexus est, quia ideas platonicas impugnare intendebat, docendo eas non esse formas per se subsistentes et primas, in quibus individua hujus mundi sensibilis subsistunt, sed puras rationes abstractas in prædictis individuis existentiam habentes. Substantiam ergo primam et secundam non consideravit ut duas species distinctas sed ut unam et eandem diverso modo

intellectam. Hoc etiam et nos faciemus juxta superius probata circa naturam universalium (166).

355.—Primo ergo dividitur substantia in *simplicem* et *compositam*. Simplex vocatur *illa, quæ* diversis substantiis non constat, ut *anima humana*; composita autem est *ea, quæ ex diversis substantiis inter se unitis coalescit*, ut *homo*. Hinc manifeste patet omnem substantiam compositam coalescere ex simplicibus; quia substantiæ primo componentes substantiam compositam non possunt non esse simplices. Non est autem idem substantiam esse simplicem et esse inextensam; quia carentia extensionis non est nisi *quædam species* simplicitatis, ac proinde simplex latius patet quam inextensum (311-316).

356.—Secundo dividitur substantia in *completam* et *incompletam*. Completa dicitur *ea, quæ ex natura sua non est ordinata ad constituendam partem alicujus totius altioris ac perfectioris sed ad existendum in se et per se*, ut *homo, angelus*, etc. Incompleta autem est *illa, quæ natura sua est pars, sive essentialis, sive integralis, alicujus compositi physici*, ut *anima humana, pes, aut digitus hominis*.

357.—Tertio dividitur substantia in *viventem* et *inanimam*. Porro substantia vivens est *ea, quæ vita gaudet*; inanima autem, *quæ vita caret*. Quid autem sit vita hic non explicabimus, sed in Cosmologia declarandum relinquimus.

358.—Quarto dividitur substantia in *materialem* et *spiritualem*. Materialis *ea est, quæ materia constat, sive principio aliquo vitali informata*, ut in *homine*, sive non, ut in *rebus omnibus corruptibilibus vita destitutis*.

359.—Quinto denique dividi potest substantia in *absolutam* et *relativam*. Absoluta *ea est, quæ proprie substantia dicitur, cum illa sola existat in se ac sit primum accidentium subjectum*. Secunda autem *modus*

quidam est constitutivus substantiæ; atque idcirco non tam substantia quam *modus substantialis* appellari debet. Porro inter hosce modos *unio substantialis*, qua anima humana corpori suo intime copulatur, numeranda est. Unio enim hæc est quid reale ac physicum; ac præterea ex natura rei distinguitur a terminis unitis, cum hæc sine illa esse possint. Huic modo quamplures alterum addunt, quem *supposita- litem* seu *subsistentiam* vocant: suppositum enim quodvis creatum physice compositum esse putant ex natura et supposita litem. Quid autem de hac sententia sit dicendum sequens paragraphus indicabit.

§ II. QUO MODO DIFFERAT NATURA A SUPPOSITO.

360.—Substantia completa nunc *naturæ*, nunc vero *suppositi* nomen sortitur. Perpendere igitur oportet in quo natura a supposito differat: quod enim aliqua ratione inter se distinguantur, ex mysterio sanctissimæ Incarnationis manifeste patet; cum in Christo duplex detur natura, humana scilicet et divina, unum vero suppositum.

361.—Porro «nomen naturæ primo impositum est ad significandam generationem viventium, quæ dicitur *nativitas*. Et quia hujusmodi generatio est a principio intrinseco, extensum est hoc nomen ad significandum principium intrinsecum cujuscumque motus. Et sic definitur natura in 2. Physic. (*text.* 3.) Et quia hujusmodi principium est formale vel materiale, communiter tam materia quam forma dicitur *natura*. Et quia per formam completur essentia uniuscujusque rei, communiter essentia uniuscujusque rei, quam significat ejus definitio, vocatur *natura*» (1). Præterea *naturæ* nomen universæ substantiarum materialium collectioni a Philosophis tribui solet.

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 20, art. 1. ad 4.^{um}

362.—Naturam philosophicum Aristotele definiunt: *Primum principium motus et quietis ejus, in quo est primo et per se, et non per accidens*. Porro per motum hic intelligi debet quaecumque mutatio, sive materialis, sive spiritualis (1); per principium vero radix prima ex qua talis mutatio exoritur. Dicitur autem principium hoc debere esse intrinsecum ipsi rei mutatae; quia unaquæque substantia creata per omnes actiones ex virtute sua intrinseca procedentes primario et per se suam propriam perfectionem quærit, ac proinde ad motum in se ipsa producendum ex se ipsa inclinatur (2). Quietis denique nomine perfectio per motum acquisita intelligenda est.

363.—Suppositum definitur: *Naturæ completæ individua substantia*. Dicitur *substantia individua*, in quantum significat ens quoddam singulare in genere substantiæ. Substantia enim hic sumitur abstractive et prout præscindit a particulari et universali; ac proinde per epithetum adjunctum trahitur ad significandum pro singulari in genere substantiæ. Nam individuum est idem ac *indivisum in se et divisum a quolibet alio*: unde applicatum *substantiæ* significat singulare quoddam in se existens et non in alio. Dicitur præterea *naturæ completæ*, in quantum significat singulare in substantiis completis seu ex natura sua ordinatis ad existendum in se ipsis per modum cujusdam totius ab alio quocumque toto divisi. Si natura hæc completa est irrationalis, individua illius sub-

(1) In Cosmologia, ubi agitur de rerum naturis, nomine *naturæ* non intelligitur nisi *principium motus physici et materialis*: hinc definitio naturæ hic data metaphysica est, non autem physica.

(2) Cfr. de Benedictis, *Philosoph. peripatet.* tom. 2, lib. 2, q. 1, cap. 1.

stantia dicitur simpliciter *suppositum*: si autem est rationalis, tunc nobiliore vocabulo *suppositum rationale* seu *persona* nuncupatur. Hinc persona generatim definiri solet: *Rationalis naturæ individua substantia*; quæ quidem definitio e libro Boëtii *de duabus naturis* desumpta est.

364.—*Modus existendi, quo in se subsistit substantia completa tamquam quoddam totum concretum indivisum in se et divisum a quolibet alio*, dicitur *supposita-litas* vel *subsistentia*. Quod si substantia completa ita in se subsistens sit rationalis, tunc modus ille *personalitas* vocatur. Circa naturam hujus modi acriter disputatur inter auctores; quibusdam contententibus illum ex natura rei distingui a substantia, ac proinde inter naturam et suppositum in creaturis existere realem distinctionem modalem; aliis vero in oppositam sententiam abeuntibus, quæ sane nobis maxime rationabilis videtur. Ad eam igitur propugnandam sequentes propositiones ostendere conabimur.

PROPOSITIO PRIMA.

Subsistentia in rebus creatis non est modus quidam positivus a natura ipsarum realiter distinctus.

365.—*Prob.*—Natura completa per hoc solum quod non sit alicui physice unita tamquam ejus pars substantialis, jam habet rationem suppositi: vere enim ac cum omni proprietate vocari potest *naturæ completæ individua substantia*, seu singulare in genere substantiæ indivisum a se et divisum a quolibet alio. Ergo sine ulla additione modi alicujus substantialis ex natura rei ab illa distincti jam est verum suppositum, ac proinde subsistentia in illa non est quid positivum ex natura rei ab ea distinctum. *Confirm.* Suppositum eatenus a natura differt, quatenus, præter intrinsecam aptitudinem ad per se standum, dicit

actualement divisionem seu actum existendi in se separatim ab alio; dum e contra ab hac divisione præscindit natura. Sed actualis divisio in natura completa per hoc præcise habetur, quod non sit alii conjuncta tamquam pars ejus substantialis. Ergo supposititas creata non addit naturæ completæ modum aliquem positivum ex natura rei ab ea distinctum, sed solam negationem unionis substantialis ad aliud ens.

366.—Ad rem D. Thomas: «*Hoc aliquid potest accipi dupliciter. Uno modo pro quocumque subsistente. Alio modo pro subsistente completo in natura alicujus speciei (seu pro supposito). Primo modo excludit inhærentiam accidentis et formæ materialis. Secundo modo excludit etiam imperfectionem partis: unde manus posset dici hoc aliquid primo modo, sed non secundo modo*» (1). En igitur quomodo Sanctus Doctor rationem suppositi reponat in eo, quod natura aliqua in se completa excludat unionem substantialem cum alio digniore. Idcirco explicans alibi naturam personæ, docet substantiam, «secundum quod per se existit et non in alio, vocari *subsistentiam*» (2). Pariter de entibus immaterialibus expresse docet, «in eis non differre (*physice*) suppositum a natura», ac in materialibus non aliam dari differentiam inter naturam et suppositum nisi metaphysicam, in eo consistentem quod natura exprimat quid abstractum indifferenter se habens ad hoc individuum vel ad aliud, suppositum vero illi addat *principium individuationis* (3): quod quidem principium, ut ex supra demonstratis constat (143), realiter non distinguitur a natura integra et completa existente in se et non in alio.

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 75, art. 2, ad 1.^{um}

(2) Id. *ibid.* q. 29, art. 2 in 9.

(3) Id. *ibid.* q. 3, art. 3, in 9, et q. 29, art. 2, ad 3.^{um} Cfr. Franzelin, *De Verbo incarn.* thes. 30.

PROPOSITIO SECUNDA.

Subsistentia seu suppositalitas est aliquid positivum cum negativo conjunctum.

367.—*Prob.*—Suppositalitas in suo conceptu formali duplicem negationem includit, alteram communicabilitatis, alteram communicationis. Hoc enim solo quod aliqua natura concipiatur in se completa seu ex se alteri non communicabilis et existat alteri non communicata, intelligitur esse singulare quoddam in genere substantiæ indivisum in se et divisum a quolibet alio. Sed prima negatio exprimit quid positivum, secunda vero quid negativum. Ergo... Minor patet: nam incommunicabilitas naturalis est quid essenziale naturæ cuius completæ, ac proinde realiter non differt ab ipsa entitate talis naturæ; incommunicatio autem actualis est quid mere negativum, quod absolute tolli a Deo potest per unionem positivam et physicam talis naturæ completæ cum altero digniore.

368.—*COROLLARIUM.*—*Ergo natura aliqua completa, absque amissione alicujus entitatis positivæ ad illam pertinentis et ablatione solius incommunicationis actualis per unionem ejusdem physicam cum altero digniore, desinit esse suppositum estque natura suppositi extranei.* Patet consequentia: nam eo solo quod absit a tali natura incommunicatio actualis, eique inhæreat realis et physica unio cum alio digniore, desinit esse singulare in genere substantiæ divisum a quolibet alio, atque existit in alio tamquam pars in toto eam sustentante. Ergo jam non est suppositum sed simplex natura existens in supposito extraneo. Atque hoc est quod expresse tradunt Patres defendendo dogma catholicum physicæ unionis naturæ humanæ cum

Verbo in Christo contra Nestorium, ut multis ostendit Cardinalis Franzelin in tractatu *de Verbo incarnato*, thesi XXXI.

Solvuntur difficultates.

369.—Obj. I. Esse subsistens præ se fert perfectionem substantialem, qua potest carere natura. Ergo subsistentia exprimit formaliter quid positivum absolute separabile a natura; ac proinde est modus quidam physicus ex natura rei ab ea distinctus.

Resp.—*Concedo antecedens* quoad primam partem et *neg.* quoad secundam. Esse subsistens exprimit quidem formaliter perfectionem incommunicabilitatis naturalis: hac vero perfectione privari nequit, cum sit ei essentialis; sed sola negatione illam naturaliter consequente, quæ consistit in absentia unionis physicæ hujus naturæ completæ cum alio digniore.

370.—Obj. II. Humanitas Christi est quidem singularis in genere substantiæ, sed tamen non est suppositum. Atqui hoc non aliunde provenire potest nisi ex eo quod ei deest modus positivus suppositalitatis sibi connaturalis: tum quia sola negatio unionis non videtur posse nostræ naturæ conferre rationem personæ humanæ; tum etiam quia si persona humana per solam ablationem incommunicationis actualis fit simplex natura suppositi extranei, facile convincere potuissent Patres Nestorium duas personas in Christo constituentem. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Ad prob. 1.^{am} *dist.*: Sola negatio unionis *sine incommunicabilitate naturalis* non confert rationem personæ, *Conc.*: *cum ea*, *Neg.* Natura humana, cum sit substantia quædam completa et rationalis, jam habet in se unum ex duobus elementis constituentibus personalitatem, seu natu-

ralem incommunicabilitatem. Unde adveniente altero seu incommunicatione, eo ipso induit rationem veræ et propriæ personæ.

Ad prob. 2.^{am} *neg. assert.*—Nam Nestorius negabat unionem physicam humanitatis Christi cum Verbo et solam moralem admittebat; atque ob hanc præcise causam dicebat duas dari in Christo personas. Unde Patres ad illum convincendum debebant illi probare realitatem unionis physicæ, quam ille mordicus negabat, quæque non ita facile probari potest, cum in ea præcise consistat totum Incarnationis mysterium (1).

ARTICULUS IV.

De quibusdam accidentium classibus.

371.—Ex hucusque demonstratis constat accidentia in *absoluta* et *relativa* dispesci; relativa autem alia quidem esse *physica*, alia vero *logica*. Nunc vero de quibusdam accidentium classibus, quæ proprie ad hunc locum spectant, nobis agendum est. Hæc autem sunt *qualitas* et *relatio*; nam cetera in aliis Philosophiæ partibus commodius tractantur.

§. I. QUID ET QUOTUPLEX SIT QUALITAS.

372.—I. Qualitas ita non incongrue describi potest: *Accidens quoddam adjunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis ejus, sive in existendo, sive in agendo*. Et sane, ut Suarez animadvertit (2), cum substantia creata valde limitata sit, non potest per se ipsam ha-

(1) Cfr. de Benedictis, *Philosoph. peripat.* tom. 4. *Metaphys.* lib. 2, q. 1, cap. 2, 3 et 4; ubi latius hæc ipsa sententia defenditur.

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 42, sect. 1, n. 5.

bere complementum perfectionis. Ad hunc ergo finem primario instituta est qualitas, et ideo ex suo genere est perfectissimum omnium accidentium; comitaturque substantiam creatam, hoc ipso quod talis est, et non tantum secundum aliquam peculiarem rationem.

373.—Ex hac qualitatis descriptione optime perspicitur cur qualitas peculiari ratione dicatur *consequi formam*. Nam quia ad formam pertinet complere ac perficere essentiam rei et conferre principalem vim agendi (314); ideo qualitas, quæ adjungitur ad complementum utriusque perfectionis, dicitur consequi formam, sive per emanationem, sive per quamdam convenientem proportionem.

374.—Ex eadem radice provenit, ut omnes differentiae rerum, quæ per propriam essentiam designari nequeunt, per qualitates regulariter designentur; nam ipsarum est quodammodo complere res creatas in suo esse perfecto: unde in sermone vulgari qualitas generatim pro differentia sumitur.

375.—Qualitatum proprietates sunt sequentes:
1.^a *Ut sæpe contrarium habeant*; unde *virtuti* opponitur *vitium*, *sanitati* ægritudo, etc. 2.^a *Ut non raro intendi et remitti possint*, ut *calor*, *sonus*, *albedo*, etc. 3.^a *Ut fundamentum similitudini et dissimilitudini præbeant*: unde duo parietes ex. gr. sunt similes *in colore*, duo homines *in moribus*, etc.

376.—Ad divisionem qualitatis quod attinet, eam cum antiquis in quatuor species dividere possumus, in *habitum* nempe *et dispositionem*, in *naturalem potentiam* et *impotentiam*, in *passionem* et *passivam qualitatem*, in *figuram* denique et *formam*.

377.—Nomine habitus intelligitur *qualitas quædam ex se stabilis in subjecto*, ac *per se primo ordinata ad adjuvandam potentiam operativam*, *facilemque illius actionem reddendam*, qualia sunt *virtus* et *vitium*, *scientia* et *ars*. Unde inter habitus minime reputandæ sunt qualitates quædam activæ, ut *calor hominis*, quæ primo et per se non sunt ordinatæ ad operatio-

nem sed ad conservationem subjecti. Dispositio autem est *præparatio et idoneitas quædam subjecti ad facile operandum imperfecta et labilis*, ut *scientia et virtus inchoata* (1). Porro dispositio vel est talis natura sua, ut perfectionem ulteriorem acquirere possit; vel non. Si *primum*; non differt essentialiter ab habitu, sed est quidam habitus imperfectus. Si *secundum*; essentialiter ab eo distinguitur, quoniam intrinsece labilis est et stabilitatem in subjecto acquirere nequit habitus propriam (2).

378.—Potentiæ naturales vocantur tam *principia operationis immediata*, quæ *vires, facultates et potentiæ activæ* dicuntur, ut *intellectus et voluntas* in homine, *sensibilitas* in brutis et *gravitas* in mineralibus, etc., quam *capacitas recipiendi aliquam perfectionem accidentalem*; quæ quidem *potentia passiva* nuncupatur. Impotentia autem naturalis est *positiva quædam imbecillitas vel incapacitas aliquid agendi vel patiendi*, qualis est *hebetudo ingenii ad percipiendum, imbecillitas memoriæ ad retinendum*, etc. Porro impotentia hæc in tantum sub qualitate numeratur, in quantum aliqualis potentia est per se instituta ad aliquem actum; eatenusque prædicto nomine vocatur, quatenus vel imbecillis est ad suum actum exercendum vel facile impediri potest ne illum exequatur.

379.—Passio in primis generaliter dicitur *de quacumque mutatione vel receptione alicujus rei, quæ actu fit in aliquo subjecto*. Deinde sumitur *pro receptione alicujus rei nocivæ et naturæ contrariæ, ratione cujus subjectum patiens privatur aliqua perfectione sibi debita*: quo sensu tunc receptio hæc vocatur maxime *passio*, quando res recepta dolorem vel molestiam affert.

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. 2. q. 49, art. 1. ad 3.^{um}

(2) Id. *ibid.* art. 2, ad 3.^{um}

Præterea nomine passionis intelligitur *quicumque affectus animæ*, ut *amor, desiderium, gaudium*, etc. Denique passio significat *qualitatem quamdam cito transeuntem ex alteratione sensibili profectam*, qualis est ex. gr. *rubor vultus* ex verecundia vel alia simili occasione excitatus. Passibiles autem qualitates dicuntur *qualitates omnes stabiles et diuturnæ per alterationem causatæ*: quæ quidem hac ratione vocantur, quia aptæ sunt, sive ut per passionem fiant, sive ut per passionem efficiant, quin tamen semper veluti in actuali passione consistent. Ex his aliquæ dicuntur *primæ*, quia per se ipsas et sine aliarum intermedio sensationem in nobis producant, ut ex. gr. *soliditas*: aliæ autem appellantur *secundæ*, quia nonnisi per alias actionem suam in nostros sensus exercent, ut ex. gr. *colores*: aliæ denique ex commixtione plurium resultant atque idcirco potius quam qualitates vocari debent *temperamenta qualitatum*, cujusmodi sunt *pulchritudo, sanitas, ægrotudo*, etc.

380.—Figura proprie significat *modum quemdam resultantem in corpore ex terminatione magnitudinis*, ut *rotunditas, quadratura*, etc. Forma vero, prout inter species qualitatis numeratur, cum ipsa figura realiter identificatur; quia figura est veluti exterior forma, quæ in corporibus apparet. Differentia inter has duas voces existens hæc est, quod per figuram res mathematico modo significatur, per formam autem modo physico.

381.—SCHOLIUM.—Solent frequenter Cartesiani Scholasticos insimulare quod mundum qualitibus repleverint pure *staticis* et minime activis. Hæc autem insignis calumnia est: nam Scholastici aliquas quidem qualitates posuerunt *primo et per se ordinatas ad operationem* v. g. *habitus et potentias*, alias vero *primo et per se ordinatas ad ornamentum vel conservationem substantiæ*, ut *calorem*. Sed has etiam secundas ut vere activas habuerunt, seu capaces aliquem effectum producendi, quo-

ties illas inter accidentia absoluta reposuerunt. Et sane in illas optime quadrant hæc Sancti Thomæ verba: «Secundum rationem habitus convenit omni habitui aliquo modo habere ordinem ad actum. Est enim de ratione habitus, ut importet habitudinem quamdam in ordine ad naturam rei, secundum quod convenit, vel non convenit. Sed natura rei, quæ est finis generationis, ulterius etiam ordinatur ad alium finem, qui vel est operatio, vel aliquod operatum, ad quod quis pervenit per operationem. Unde habitus non solum importat ordinem ad ipsam naturam rei, sed etiam consequenter ad operationem, in quantum est finis naturæ, vel perducens ad finem» (1).

§ II. QUID ET QUOTUPLEX SIT RELATIO.

382.—Absolutum dicitur *illud quod potest a nobis cogitari, quin cogitemus de alia re*; ut ex. gr. *lapis, arbor, homo, equus*, etc. Relativum e contra est *illud de quo non possumus cogitare, quin simul cogitemus de alia re*, v. gr. *filius, frater, dominus, servus*, etc. Hinc relatio definiri potest: *Habitus unius rei ad aliam, propter quam cogitare de una non possumus, quin simul de altera cogitemus*. Ex hac definitione manifeste patet *relativa simul esse re et cognitione*; quia connexio prædicta dari nequit nisi inter res actu existentes, nec aliter cognosci potest quam simul cogitando utrumque terminum relatum.

383.—Elementa relationis sunt tria; *subjectum* scilicet, *terminus* et *fundamentum*. Porro subjectum relationis dicitur *res illa, in qua invenitur fundamentum*: terminus autem est *illa altera res, ad quam refertur subjectum vi fundamenti in eo existentis*: fundamentum denique est *illud propter quod subjectum refertur ad terminum*. Sic in relatione *patris ad filium*

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. 2. q. 49, art. 3. Cfr. Suarez, *Metaphys.* d. 18, s. 4, nn. 8-10; et d. 42, s. 4, n. 9.



ex. gr. *pater* est subjectum, *filius* terminus et *paternitas* fundamentum.

384.—Circa essentiam relationis variant auctores. Alii enim dicunt saltem quasdam relationes, quæ *prædicamentales* vocantur, in modo quodam consistere a subjecto, termino et fundamento distincto. Alii e contra eam formaliter reponunt in solo fundamento, non quomodocumque sumpto, sed prout connotante terminum (1). Ex his prima opinio rejicienda videtur. Nam: a) ad concipiendam relationem veram sufficit concipere subjectum, terminum et fundamentum illius, ac proinde ille modus superadditus superfluous est; b) secus quoties aliquis de novo fit *albus* ex. gr. pullularet in singulis subjectis albis totius mundi modus quidam physicus similitudinis, quod creditu difficillimum est. Secunda admitti potest, dummodo terminus etiam dicatur aliquo modo intrinsece ad relationem pertinere; quia secus relatio subsisteret etiam ablato termino; quod est impossibile. Forte non immerito dici posset subjectum et terminum *materiam*, fundamentum vero *formam* relationis constituere (2).

385.—Relatio dividitur in *realem* et *logicam*. Prima existit a parte rei independenter a cogitatione nostra; secunda vero existit in rebus prout cogitatis, seu in solis conceptibus nostris. Sic relatio inter patrem et filium est realis; siquidem independenter a cogitatione nostra datur in patre aliquid propter quod refertur ad filium: relatio autem inter subjectum et prædicatum orationis est logica, cum ab actibus nostri intellectus judicantis tota pendeat.

386.—Circa existentiam relationum realium nulla potest esse dubitatio. Nam in primis independenter

(1) Ita Suárez, *Metaphys.* disp. 47, sect. 2, n. 22.

(2) Cfr. Losada, *Curs. philos.* part. 1, tract. 4, cap. 4.

a cogitatione nostra datur in mundo convenientia vel discrepantia inter diversas res, convenientia autem et discrepantia nihil aliud sunt nisi relationes. Deinde independenter ab hac cogitatione existit in rebus ordo, quo omnes actionibus suis apte in finem totius universi conspirant: ordo vero relatio quædam est. Denique independenter a nostra cogitatione verum est res hujus mundi a Deo essentialiter dependere tam in essendo quam in operando; ac proinde ad illum referri tamquam ad proprium ipsarum auctorem, conservatorem et gubernatorem.

387.—Aliqui sane existentiam harum relationum negarunt dicentes in rebus non dari proprie relationes sed aptitudinem tantum ut ab intellectu nostro ad invicem referantur. Hi autem nomine relationum intelligebant, non quidem fundamentum objectivum intellectum nostrum ad instituendas comparationes determinans, sed has ipsas comparationes ab illo factas et in eo existentes: unde verbis tantum a cæteris discrepabant; cum fundamentum hoc, in quo proprie relatio realis consistit, minime negarent. Soli igitur sceptici, quibus mundus hic adspectabilis realis non videtur, inter oppugnatores harum relationum recensendi sunt.

388.—Ad relationem realem requiritur: 1.º *Ut dentur duo extrema realiter inter se distincta*. Secus enim haud existet realis ordo inter illa, ac proinde habitu-do unius ad alterum erit pure logica.—2.º *Ut fundamentum relationis existat in rebus independenter a cogitatione nostra*. Fundamentum enim est unum ex elementis essentialibus relationis; ac proinde, ut hæc sit realis, et ipsum in rebus existat necesse est. 3.º *Ut fundamentum hoc realiter distinguatur a termino*. Debet enim existere in uno tantum ex extremis, ut per illud unum referatur ad aliud, ac proinde non potest non distingui realiter ab altero extremo.

389.—Cum fundamentum partem formalem relationis constituat; tot necessario erunt relationis rea-

lis species, quot dentur fundamenta specificè inter se diversa. Hæc autem sunt tria: *essentia* scilicet alicujus rei, *accidens* aliquod ejusdem et *actio* qua producit. Relationis ergo realis species sunt tres: *essentialis* nempe, quæ etiam *transcendentalis* appellatur, *accidental*is et *causalis*, quæ *prædicamentales* vocari solent.

390.—Essentialis seu transcendentalis in ipsis rerum essentiis fundatur; atque idcirco non est quid accidentale sed essenziale et ab ipsa rei essentia minime distinctum. Porro si hæc essentia, cum qua relatio transcendentalis realiter identificatur, est quædam substantia completa; relatio consistet in re sub uno adpectu absoluta et sub alio relativa. Substantia enim quævis completa, non exclusis iis, quæ in se sunt essentialiter relativæ, quales sunt omnes substantiæ creatæ, exhibet quid absolutum sub ratione substantiæ (341-342). Deinde, si essentia prædicta est quædam substantia incompleta seu partialis (356), tunc relatio consistet in re sub omni adpectu relativa: substantia enim incompleta in ipso suo conceptu imperfecto dicit relationem ad suum complementum tamquam ad suam compartem. Sic *anima humana* ex. gr., quæ est substantia quædam incompleta, sub quovis conceptu ejusdem, tam imperfecto quam perfecto, nobis exhibetur tamquam *pars* hominis. Denique, si essentia memorata sit unio substantialis duarum substantiarum incompletarum; tunc relatio transcendentalis habebitur in re, quæ non modo sese exhibet sub omni adpectu relativam, sed præterea in suo conceptu formali dicit *actuale exercitium* relationis unius partis compositæ ad alteram. Unio enim substantialis, quamvis quid substantiale in se sit (359), nonnisi in substantia ipsa esse potest; ac proinde in suo conceptu formali dicit *actuale exercitium* copulationis substantiarum unitarum.

391.—Relatio accidentalis pro fundamento habet aliquod accidens: quod quidem non a termino tantum debet ex natura rei distingui, sed ab ipso etiam subjecto. Secus enim subjectum se ipso referretur ad terminum; ac proinde relatio non accidentalis foret, sed substantialis seu essentialis, utpote in substantia ipsa seu essentia fundata. His adde omnem denominationem positivam novam debere necessario fundari in aliqua forma nova et positiva, a qua ipsa proveniat. Cum ergo relatio accidentalis sit denominatio quædam positiva de novo adveniens alicui subjecto; necessario fundari debet in forma aliqua accidentali, quæ sive realiter sive saltem ex natura rei distinguatur ab ipso subjecto. Sic *paries* ex. gr. non posset acquirere relationem accidentalem similitudinis quoad *albedinem* respectu alterius parietis, ni albedo foret quid, sive realiter sive saltem ex natura rei, distinctum ab ipso pariete. Idem dicatur de alia quavis relatione reali accidentali.

392.—Relatio causalis fundamentum suum habet in influxu illo, qui ex causa efficiente ad effectum effunditur, et propter quem hic ab ea in suo fieri dependet. Sic *pater* dicit relationem causalitatis ad *filium* ratione generationis activæ, qua illum produxit; et *filius* ad *patrem* ratione generationis passivæ, qua ab illo productus est.

393.—Relatio realis potest esse *mutua* vel *non-mutua*. Et quidem mutua erit, quum illius fundamentum in utroque extremo relato existet, ut relatio *similitudinis* in duobus parietibus albis. Erit vero non mutua, quum fundamentum illius in uno tantum ex extremis invenietur, ut relatio *scientis* et *sciti*, quæ in solo sciente fundamentum habet et in illum solum mutationem inducit.

394.—Rursus in relatione mutua accidere potest,

ut fundamentum idem specie sit in utroque extremo, ut in exemplo *albedinis* superius apposito; vel specie differat, ut in relatione *patris* et *fili*i. In primo casu vocatur relatio *æquiparantiæ* et idem nomen servat in utroque extremo relato; in secundo vero relatio *disquiparantiæ*, et diversa nomina in eis sortitur: unde relatio patris ad filium *paternitas*, relatio autem filii ad patrem *filiatio* nuncupatur.


395.—Ut relatio mutua haberi queat, ambo extrema ad invicem relata ad eundem ordinem pertineant necesse est. Nam, ut optime scribit Suarez, relatio realis consistit in ordine unius rei ad aliam: unde merito ad mutuam relationem requiritur, ut sit inter extrema ejusdem ordinis (1). Hoc in causa est, cur Deus relationem ad creaturas suas non dicat, licet illæ ab ipso suam existentiam habeant et ad illum, tamquam ad suum creatorem et conservatorem, referantur.

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 47, sect. 15, n. 24. Cfr. S. Thomas, *De Potentia*, q. 7, art. 10, ubi late tractatur de relatione reali.





ONTOLOGIÆ PARS TERTIA.



DE CAUSIS ENTIIUM.

Quinque capitibus tractatum hunc perficiemus; quorum primum aget de causis in genere, secundum de causa efficiente, tertium de materiali et formali, quartum de finali, quintum denique de exemplari. De causa enim universali seu prima in Theodicea, de libera autem in Psychologia data opera disseremus.

CAPUT PRIMUM.

De causis in genere.

Quæstionem de causis in genere duobus articulis absolvetur: quorum primus notiones principii et causæ dabit, secundus vero principia ontologica ex notione causæ immediate derivata complectetur.

ARTICULUS PRIMUS.

De notionibus tum principii, tum causæ.

396.—I. Principium dicitur *omne id, unde aliquid est quomodocumque*: illud autem quod ex principio est, dicitur *principiatum*. Proinde ad rationem principii veri non sufficit quæcumque connexio inter duo; sed requiritur ut unum ex altero procedat atque ab illo influxum aliquem accipiat. Dicitur quidem aurora *principium diei*, quin ullo modo in illum influat: sed principium tunc *lato quodam* sensu sumitur, immediatam præcedentiam significans auroræ respectu temporis, quo sol in horizonte aliquo incipit lucere.

397.—Omne principium aliquam prioritatem dicit respectu sui principiati: prioritas autem hæc triplicis generis concipi potest; *temporis* scilicet, *naturæ* et *originis*. Porro datur prioritas temporis inter principium et principiatum, quoties illud aliquo tempore extitit antequam in hujus originem influxerit. Datur autem prioritas naturæ, quando principium influxu suo tribuit principiato naturam a propria ipsius saltem numero distinctam, sive tempore ei præcedat, sive non. Datur denique prioritas simplicis originis, quando principium principiato suam ipsius eandem numero naturam communicat. Exempla prioritatis sive temporis sive naturæ inveniri quidem multa possunt in rebus creatis; prioritatem vero simplicis originis solum nobis mysterium SS.^{mæ} Trinitatis supeditat.

398.—Principia alia sunt *intrinseca* principiato, alia vero *extrinseca*. Prima sunt *elementa illa, quæ intra principiatum existunt tamquam illius partes constitutivæ*, ut in corpore physico ex. gr. *materia et forma*.

Secunda vero ea dicuntur, quæ extra principiatum sunt atque in illius productionem virtute sua influunt, ut parentes Petri relate ad ipsum. Principia interna principiato appellantur *principia essentiae* seu in ordine essendi, externa autem *principia existentiae* seu in ordine existendi. Quod si res principiata sit quædam cognitio, principium externum ejusdem *principium cognitionis* seu *evidentiæ* nuncupatur. Unde patet principia triplicis generis esse agnoscenda, *essentiæ* scilicet, *existentiæ* et *cognitionis*, seu in ordine essendi, existendi et repræsentandi.

399.—II. «Causa, ut optime scribit Sanctus Thomas, videtur importare diversitatem substantiæ et dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen principii. In omnibus enim causæ generibus semper invenitur distantia inter causam et id, cujus est causa, secundum aliquam perfectionem aut virtutem. Sed nomine principii utimur etiam in his, quæ nullam hujusmodi differentiam habent, sed solum secundum quemdam ordinem: sicut cum dicimus, punctum esse principium lineæ; vel etiam cum dicimus, frontem lineæ esse principium lineæ» (1).

400.—Causa ergo quædam species principii est: et supra generalem principii notionem addit diversitatem substantiæ et dependentiam alicujus ab altero. Unde causa in genere sic definiri potest: *Principium per se influens esse in aliud a se substantialiter distinctum et ab illo dependens*. Porro veritas hujus definitionis ex enumeratione diversarum causarum atque illarum explicatione clarius perspicietur.

401.—Et sane, quinque recensentur genera causarum, videlicet *efficiens*, *materialis*, *formalis*, *finalis* et *exemplaris*. Ex his autem omnes præter secundam et tertiam principia sunt causato extrinseca, ac proinde hoc ab illis substantialiter differt et vere in exsi-

(1) Thom. Summ. Theol. 1. p. q. 23, art. 1 ad 1.^{um}

stendo dependet. Deinde materialis et formalis partes quidem sunt constitutivæ compositi physici ex substantiali illarum unionе resultantis: sed tamen unaquæque earum ab illo differt, ut pars a toto; et compositum ab illis dependet, ut totum a suis partibus. Denique finalis et exemplaris non per se ipsas sed per efficientem influunt in productionem rei causatæ. Ergo manifeste patet veritas definitionis prædictæ.

402.—Unaquæque ex causis memoratis in causatum peculiari sua ratione influit: influxus autem hic generali nomine vocatur *causalitas*; atque ejus natura melius declarabitur, ubi de singulis causis in particulari agendum erit.

ARTICULUS II.

De principiis ontologicis ex notione causæ immediate derivatis.

403.—Principia hæc sunt sequentia: *Nihil existit sine ratione sufficiente. Non datur effectus sine causa.* Horum primum dicitur *principium rationis sufficientis*; secundum vero *principium causalitatis*. De singulis aliqua breviter dicere oportet.

404.—Rationis nomen, utpote a verbo *reor* derivatum, in primæva sua significatione idem ac *cogitatio* sonat: inde vero ad ipsam vim cogitandi et ad objecta per illam cogitata, quatenus cogitata, designanda translatum est. Hinc ratio definiri generatim potest: *Illud quo res aliqua cognoscitur aut cognoscitur.* Verum definitio hæc nimis vaga est; atque idcirco, ad rem præsentem quod attinet, ratio passim definiri solet: *Illud quo intelligitur aut intelligi potest alicujus rei quidditas, aut ejus existentia, aut ejus notitia.* Unde tria dantur rationum genera; *essentiæ*

scilicet, *existentiæ* et *cognoscibilitatis*. «Quæ quidem partitio cum trita principiorum partitione conspirat. Est enim principium id unde aliquid est, aut fit aut cognoscitur. Est tamen discrimen rationis a principio. Principium enim est *quod continet rei rationem*. Ratio autem in principio contenta est *id quo principium sui principiati esse principium intelligitur*» (1).

405.—Cum ratio aliqua habet aptitudinem ad ostendendam sive essentiam, sive existentiam, sive cognoscibilitatem alicujus rei, dicitur *sufficiens*; quando vero contrarium accidit, *insufficiens* appellatur.

406.—Causa efficiens *ea vocatur, quæ influxu physico influit in causatum*. Porro causatum hoc *effectus* nuncupatur; influxus vero physicus ex causa efficien-
te in illud promanans *actionis* nomine designatur.

407.—His præmissis, declarare jam oportet quo pacto hæc duo principia ex notione causæ immediate deriventur. Beguelinus enim, berolinensis academicus, sæculo proxime elapso contra illa insane debacchatus est, dicens utrumque evidentia destitui, tam mediata quam immediata, ac proinde res hujus mundi casu fortuito existere posse. A Beguelino autem non multum recessit anglus Hume; qui cum multis illius ætatis scriptoribus opinatus est, principium causalitatis esse mere empiricum, nihilque aliud illo significari nisi solam successionem phænomenorum nullo dependentiæ vinculo inter se connexorum. Sit itaque sequens

PROPOSITIO.

Principia sive causalitatis sive rationis sufficientis sunt analytica atque immediate evidentia.

408.—*Prob. 1.^a p.*—Analytica dicuntur principia illa, quorum prædicatum est de ratione subjecti. Sed hoc invenitur in laudatis principiis. Ergo ambo sunt analytica.

(1) Tongiorgi, *Ontolog.* n. 313.

Prob. min.—Et quidem *a) quoad principium causalitatis*. Nam hoc principium alia forma propositum sic sonat: *Omnis effectus causam habet*. Jam vero quod de ratione effectus sit habere causam, ex simplici hujus conceptus analysi patet. Nam effectus dicitur res illa, quæ transit ex statu puræ possibilitatis ad statum existentiae. Atqui nulla res transire potest ex statu puræ possibilitatis ad statum existentiae nisi virtute alicujus causæ illi existentiam conferentis. Dum enim est in statu possibilitatis, est merum nihil (67), ac proinde nihil sibi dare potest: unde ut accipiat existentiam, debet eam sibi dare aliud ens virtute sua physica illam producendo. Ergo de ratione effectus est habere causam a se distinctam.

Deinde *b) quoad principium rationis sufficientis*. Nam hoc principium significat omnem essentiam habere rationem sufficientem *cur talis sit*, omnem existentiam *cur extra statum puræ possibilitatis inveniatur*, et omnem evidentiam *cur omnis cognitio evidens obiectum repræsentet, prout est in se*. Jam vero hæc omnia ita se habent sicut hoc principium enuntiat. Nam ad essentias quod attinet, compositæ sunt tales, quia resultant ex talibus componentibus; simplices autem, quia hoc modo est participabilis ad extra divina Essentia, in qua omnes essentiæ finitæ fundantur; Essentia denique infinita, quia est ipsum esse per se subsistens. Deinde, quod ad existentias productas, ratio illarum sufficiens invenitur in causis, per quas productæ sunt; et quod ad existentiam increatam, hujus ratio sufficiens detegitur in essentia ipsius entis increati hoc genus existentiae sibi vindicantis. Denique, ad evidentiam quod spectat, rationem suæ conformitatis cum objecto ipsa natura intellectus suppeditat; qui ad verum capessendum ex se ipso conformatus est, illudque infallibiliter asse-

quitur, quoties objectum sine ullo impedimento in illum agit. Ergo...

409.—*Prob. 2.^a p.*—Patet ex præcedente. Nam ex explicatione facta constat, veritatem utriusque principii sola terminorum suorum expositione et sine ullo vero discursu omnibus manifestam fieri. Ergo veritas utriusque principii est per se atque immediate evidens.

Difficultates.

410.—Obj. I. Principia causalitatis et rationis sufficientis sunt valde obscura: supponunt enim ideam existentiae realis; quæ obscurissima est, utpote in alias non resolubilis. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad prob. *Nego* prorsus ideam existentiae realis esse obscurissimam; cum nihil clarius sit existentia reali. Porro quod hæc idea in alias resolvi nequeat, argumentum est, non quidem obscuritatis, sed claritatis maximæ: solis namque ideis primis atque immediata evidentia gaudentibus convenire potest, ut per alias clariores definiri nequeant.

411.—Obj. II. Idea existentiae non includit ideam causæ. Sed effectus omnis quædam existentia est. Ergo in idea effectus non involvitur idea causæ.

Resp.—*Dist. maj.*—Idea existentiae, *ut sic*, non includit ideam causæ, *Conc.* Idea existentiae *particularis, quæ effectus propria est*, *Neg.* Et *conc. min., sub dist. data nego cons.* Idea existentiae, *ut sic*, non includit ideam causæ; quia Deus existentiam quidem habet, sed a nullo productus fuit. Idea autem existentiae contingentis seu transeuntis ex non esse ad esse necessario eam involvit.

412.—Obj. III. Si principium rationis sufficientis verum foret, omnes res necessario existerent. Posita

enim ratione sufficiente, rationatum poni necesse est. Atqui non omnes effectus necessario existunt. Ergo...

- Resp.—*Neg. maj.*—Ad prob. *Dist.* Posita ratione sufficiente, rationatum poni necesse est *necessitate consequente exercitium libertatis*, Trans.: *necessitate antecedente hoc exercitium*, sub dist. *ubi agitur de causis necessariis*, Conc.: *ubi agitur de causis liberis*, *Neg.* Principium rationis sufficientis hoc tantum significat, nihil existere sine aliqua ratione sufficiente, qua intellecta rem existere intelligamus. Proinde applicatum ad actus causarum liberarum, minime illorum libertati nocebit: ratio enim sufficiens horum actuum erit libera determinatio voluntatis eos pro nutu suo ponentis vel omitteris.

413.—Obj. IV. Principium rationis sufficientis sine circulo vitioso demonstrari nequit; in omni enim demonstratione ut certum supponitur. Ergo est obscurum.

Resp.—*Conc. ant. et nego cons.*—Principium hoc in omni quidem demonstratione ut certum supponitur; quia ad illam faciendam semper procedimus in suppositione quod existat aliqua ratio rei demonstrandæ veritatem manifestans. Non ideo tamen dicendum est obscurum, sicut nec ulla alia res immediate evidens et per se ipsam nota. Principium enim hoc demonstrari nequit, non quia obscuritate laborat, sed quia immediata evidentia fulget.

CAPUT II.

De causa efficiente.

Doctrinam de causa efficiente septem articulis trademus: quarum primo notionem illius explicabimus, secundo causam efficientem cum suo effectu comparabimus, tertio eam in suas species partiemur, quarto et quinto de natura causæ primæ et secundæ agemus, sexto conditiones ad agendum requisitas ex parte causarum efficientium exponemus, septimo denique naturam causalitatis efficientis declarabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De notione causæ efficientis.

414.—Causa efficiens, ut supra dictum est, *est principium illud, cujus physico influxu aliquid producitur, seu e statu possibilitatis ad existentie statum adducitur*. Res per eam causata *effectus* nuncupatur, influxus autem physicus ad illam causandam adhibitus *actionis* nomine insignitur.

415.—Actio omnis relationem transcendentalem dicit ad causam ex qua emanat: effectus enim illo modo particulari quo de facto causatur, non nisi per illam determinatam actionem causari potest. Effectus vero non dicit relationem transcendentalem ad particularem causam, a qua existentiam suam accepit. Nam idem numero produci potuisset ab alia ejusdem vel alterius generis per aliam actionem, ac proinde ab illa in suo fieri essentialiter non dependet. Sic, mensa A v. gr., quando est in statu possibilitatis, indifferens est ut producat per artificem B, aut per C, D, etc. atque idcirco a nullo ipsorum essentialiter in suo fieri dependet.

416.—Omnis autem effectus relationem transcendentalem dicit ad causam universalem seu Deum; sine cujus influxu physico atque immediato nulla prorsus res ad existentiam vocari potest, ut in Theodicea demonstrabitur.

417.—Circa notionem causæ efficientis tam Lockius quam Humius et alii ejusdem furfuris philosophi vehementer erraverunt, dicentes inter causam et effectum nullum aliud connexionis genus a nobis deprehendi quam relationem successionis. Sic, cum ad præsentiam *ignis* v. gr. *calorem* sentimus, relationem quidem successionis inter approximationem ignis et manifestationem caloris animadvertimus; influxum vero physicum ignis in calorem aut relationem dependentiæ physicæ, quam calor ab igne habeat, percipimus nullam, si his auctoribus credere oporteat.

418.—Juxta hanc falsissimam sententiam, conceptus causæ efficientis a nobis prorsus exularet: siquidem relatio successionis inter duo phænomena toto cœlo distat a relatione dependentiæ physicæ, quam effectus habet a sua causa efficiente, ut in secundo articulo præcedentis capituli visum est.

419.—Tota aberrationis ratio in his philosophis exinde sumenda est, quod ad concipiendam notionem causæ, solius sensus et conscientiæ testimonium præ oculis habuerint; quasi vero per sensus aut per conscientiam, quæ pura *facta* testantur; non vero per rationem ideæ causæ acquirenda esset. Sensus quidem et conscientia solam phænomenorum successionem referunt; ratio vero in horum phænomenorum natura principium activum, unde ipsa emergunt, nativa sua virtute deprehendit, atque hoc modo in causæ notionem assurgit.

420.—Experientia, tum externa tum interna, in efformatione hujusmodi ideæ non aliter operantur quam suppeditando intellectui *materiam suarum cogitationum*. Sensus enim et conscientia in sola factorum relatione quiescunt: intellectus vero, hac relatione supposita, factorum naturam rimatur; atque

huius naturæ cognitione ideam sibi causæ comparat. De ratione enim horum phænomenorum est, ut sint producta ab aliquo ente ab illis distincto, cum nihil se ipsum producere queat.

ARTICULUS II.

De causa efficiente cum effectu comparata.

Duas hac super re quæstiones tractandas suscipimus. Prima est, *an duæ res producere se ad invicem possint*; secunda vero, *an duæ res ita eundem effectum producere valiant, ut totum singulæ efficiant*. Ut igitur illas breviter solvamus, sint duæ propositiones sequentes.

PROPOSITIO PRIMA.

Duo entia nequeunt esse ad invicem causæ suæ primæ existentie.

421.—*Demonst.*—Si duo entia darent sibi mutuo primum esse seu primam existentiam, unumquodque illorum esset in ordine essendi prius et posterius altero. Sed hoc manifeste repugnat. Ergo duo entia nequeunt esse ad invicem causæ suæ primæ existentie. *Prob. maj.* In hypothesi prædicta unumquodque ex duobus entibus foret causa simul et effectus alterius quoad primum esse. Jam vero quatenus causa, esset absolute prius illo in ordine essendi; et quatenus effectus, esset absolute posterius in eodem ordine. Nam causa eatenus causat, quatenus est existens; et effectus eatenus efficitur, quatenus est simpliciter possibilis seu non existens: existens autem est prius in ordine essendi quam non existens. Ergo...

SCHOLIUM.—Dixi *sue primæ existentie*: nam secundam et cæteras omnes possibles bene sibi eam dare queunt. Sic *Petrus* ex. gr. habet potentiam physicam

ad generandum Joannem, a quo suam existentiam accepit; si Joannes post generatum Petrum ad statum puræ possibilitatis a Deo reducatur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Dux causæ efficientes possunt ita influere in aliquem effectum, ut totum singulæ efficiant.

422.—*Demonst.*—1.º Quotidiana experientia constat currum aliquem aut navim trahi posse a duobus hominibus aut equis in unum suas vires conjungentibus. Sed tractus hic totus producit a singulis hominibus aut equis; nulla enim illius pars designari potest, quæ producta sit ab uno ex illis tantum. Ergo... 2.º Effectus causarum secundarum totus producit a causis secundis et a causa prima: nihil enim a causis secundis in rerum natura produci quit, quod simul non producat a prima, ut in Theodicea demonstratur. Ergo...

423.—*SCHOLIUM.*—Cum duæ causæ efficientes ad eundem effectum producendum concurrunt, unaquæque illarum illud producit *totalitate effectus*, non autem *totalitate causæ*. Ratio hujus rei est; quia tunc effectus a singulis causis totus producit, influxus vero ab una ex illis præstitus ex se solus est insufficiens ad illum causandum. Hinc causæ hujusmodi respectu effectus hac ratione pereas producti non tam causæ quam *concausæ* dicendæ sunt.

ARTICULUS III.

De diversis causarum efficientium classibus.

424.—Causa efficiens dividitur: 1.º in *physicam* et *moralem*, 2.º in *principalem* et *instrumentalem*, 3.º in

totalem et partialem, 4.^o in *univocam* et *æquivocam*, 5.^o denique in *necessariam* et *liberam*. De singulis aliquid dicendum.

425.—1.^o *Physica* vocatur *illa*, quæ *actione sua physica immediate in effectum influit*: *moralis* e contra est *ea*, quæ *sive consilio, sive adhortatione, sive præcepto aliquo physicam ad actionem incilat*. Sic *Petrus* ex. gr. *Paulum* pugione confodiens causa physica est mortis eidem illatæ; *Antonius* vero hanc illi actionem suadens est causa ejusdem moralis.

426.—2.^o *Principalis* ea dicitur, quæ *agit propria virtute ac nomine, atque ex propria perfectione adæquantem aut continente perfectionem effectus*. *Instrumentalis* autem vocatur *ea*, quæ *concurrit ad effectum ut elevata ab agente nobiliori ultra mensuram suæ propriæ perfectionis et ut agens, non nomine proprio, sed nomine principalis, cui servit*. Sic in hac scriptura conficienda ego sum causa principalis; *calamus* autem, quo tamquam instrumento utor, est causa instrumentalis.

427.—*Instrumentum aliud est conjunctum*, aliud vero *separatum*. Primi generis sunt omnia instrumenta *artis*; quæ operari nequeunt nisi ut conjuncta cum artifice atque ab eo actualiter mota. Secundi vero sunt instrumenta *naturæ*; quæ agere valent etiam separata a principali, ut videre est in *semine* ex. gr. a planta deciso.

428.—Alio etiam modo dici solet instrumentum *conjunctum* et *separatum*. Nam instrumentum *conjunctum* dicimus *manum, pedem* et quodcumque aliud corporis membrum ad integritatem nostræ substantiæ pertinens, quatenus per illud actiones quasdam ad libitum nostræ voluntatis exercemus. Et instrumentum *separatum* appellamus omne ens sub influxu alterius effectum suum quomodocumque producens; quo sensu minister dicitur instrumentum

regis et causæ secundæ instrumenta causæ primæ. Sed istæ appellationes metaphoricæ sunt atque improprie: nam instrumentum verum debet esse ens realiter distinctum a causa principali et inferioris perfectionis quam effectus per illud causatus.

429.—3.^o Totalis est *ea, quæ in ordine suo totam rationem sufficientem continet effectus per eam producti*: partialis autem est *illa, quæ nonnisi partem rationis sufficientis continet in ordine prædicto*. Sic in ordinæ causarum efficientium creatarum equus aliquis trahens currum est causa totalis motus in curru per illum effecti: si autem simul cum alio equo currum traheret, ambo essent causæ partiales prædicti motus.

430.—Dixi *in ordine suo*: quia licet multæ causæ ad diversos ordines pertinentes ad productionem ejusdem effectus concurrant, non ideo tamen partiales *strictè* vocari poterunt; sed unaquæque illarum *totalis* dici debet, dummodo in ordine suo totam rationem sufficientem contineat effectus per eam causati. Sic *equus* trahens rhedam causa totalis est tractionis in ordine causarum efficientium creatarum, licet in ordine causæ efficientis increatæ in eandem etiam concurrat causa prima, et in ordine causæ moralis rhedarius equum gubernans. *Lato* tamen sensu etiam causæ totales in ordine suo dici partiales possunt relate ad influxum totalem per quem aliquis effectus producitur, quando hic a pluribus causis in suo ordine totalibus causatur. Nam tunc verum est dicere unamquamque ex illis causis producere illum effectum totalitate quidem effectus, sed non totalitate causæ, tamquam si vera causa partialis foret.

431.—4.^o Univoca dicitur *ea, quæ effectum producit ad eandem speciem, cujus ipsa est, pertinentem*; ut *ignis* respectu alterius ignis per illum producti. Æquivoca e contra est *ea, quæ effectum producit a propria ipsius specie diversum*, ut *homo* respectu omnium operum suorum artificialium et *Deus* respectu omnium rerum creatorum. Si causa æquivoca sit principalis, effectus suus ad perfectionem ejus non attingent: e

contra si est instrumentalis, effectus perfectionem illius superabit. Ratio *primi* est; quia nulla causa principalis edere valet effectum se ipsa perfectiorem, cum nemo dare possit quod non habet: unde si est æquivoca, effectus ejus ad speciem ordinis inferioris pertineat necesse est. Ratio deinde *secundi* est; quia instrumentum ad ordinem causæ principalis per illam operantis elevatur: unde effectus naturam prædictæ causæ necessario sequetur ac proinde instrumentum ab illo specie diversum perfectione superavit.

432.—5.° Necessaria atque etiam naturalis vocatur *illa quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest cohibere actionem, sed invincibiliter ad illam pondere suæ propriæ naturæ determinatur*. Necessarium enim dicitur quod ex se est invincibiliter determinatum ad unum. Liberam autem *eam appellamus quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, vel non agere, vel agere contrarium*. Exemplo causæ necessariæ sit Sol: qui, statim ac super horizontem apparet, ad illum illuminandum determinatur. Exemplo autem causæ liberæ potest esse voluntas nostra: quæ, positis omnibus ad volendum necessariis, ita vult objecta omnia finita, ut possit ea non velle, aut etiam odio habere pro lubitu suæ libertatis.

433.—6.° Denique causa prima est *illa, quæ a nulla alia dependet in suorum effectuum productione*. Secunda vero est *ea, quæ nihil producere valet nisi sub influxu et actione causæ primæ*.

ARTICULUS IV.

De causa prima efficiente.

Existencia causæ primæ in Theodecea demonstranda est. Hic ergo notiones tantummodo quædam generales ad hujus causæ naturam spectantes tradendæ sunt.

PROPOSITIO PRIMA.

Causa prima est ens a se.

434.—*Demonst.*—Ens a se dicitur illud, quod non habet in alio rationem sufficientem suæ existentiae sed existit vi ipsius essentiae suæ. Sed causa prima nequit habere in alia rationem sufficientem existentiae suæ. Nam secus non esset ab alia independens in operando, cum non foret independens in essendo. Ergo causa prima non potest non esse ens a se.

PROPOSITIO SECUNDA.

Causa prima semper extitit et sine fine existet.

435.—*Demonst.*—Causa prima est ens a se seu existens vi essentiae suæ. Sed quod vi ipsius assentiae suæ existit, tam principio quam fine caret (319); seu quod idem est, semper extitit et sine fine existet. Ergo...

PROPOSITIO TERTIA.

Causa prima immutabilis est.

436.—*Demonst.*—Causa prima mutari nequit nec quoad suum esse, nec quoad suos modos essendi. *Non quoad suum esse:* siquidem vi essentiae suæ necessario existit sine principio et fine. *Non quoad suos modos essendi:* nam sicut vi essentiae suæ est determinata ad esse, sic etiam vi ejusdem essentiae determinata existere debet ad *talem* modum essendi. Ergo...

PROPOSITIO QUARTA.

Repugnat causam primam existere, si aliquando non exilit.

437.—*Demonst.*—Res quæ aliquando non exilit, est effectus; siquidem debuit transire ex non-esse sui ad esse vi alicujus causæ, quæ illi existentiam contulerit, cum nemo dare sibi queat suam propriam existentiam (408). Sed causa prima non potest esse effectus alterius, cum necessario debeat esse ens a se. Ergo repugnat, ut causa prima existat, si aliquando non exilit.

ARTICULUS V.

De causa efficiente secunda.

438.—Causæ efficientis secundæ tum existentiam tum possibilitatem de medio tollunt Occasionalistæ; qui, ducibus Arnoldo Gueulinxs et Nicolao Malebranche, dicunt substantias creatas omni activitate destitui, eatenusque pro causis esse habendas, quatenus occasionem præbent causæ primæ diversos in mundo effectus producendi. Inter eos tamen non eadem prorsus sententia viget: nam quidam solis corporibus activitatem abnegant et *mitiores* vocantur, alii vero a spiritibus etiam removeant et *rigidiores* nuncupantur. Ut igitur perniciosissimum hunc errorem refellamus, sequentes statuimus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Conceptus causæ secundæ nullam in se contradictionem involvit.

439.—*Demonst.*—Conceptus causæ secundæ efficientis nihil aliud includit nisi vim aliquem effectum

producendi ab alio acceptam. Sed vis hujusmodi nullam in se contradictionem involvit. Ergo... *Prob. min.* In tantum illam includeret, in quantum deberet esse infinita. Atqui limitata existit, tum ratione *materiæ*, circa quam versari debet, tum ratione *dispositionis* hujus materiæ ad formam recipiendam: nihil enim producere valet *ex nihilo sui et subjecti* seu creare, sed tantum *ex et in subjecto*, seu transformare. Ergo...

Solvitur quædam difficultas.

440.—Si causæ secundæ aliquid agerent, causa prima non produceret quidquid in mundo fit. Sed hoc derogat ejus efficaciæ et potentiæ. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Non produceret *totalitate causæ*, Conc.: *totalitate effectus*, Neg. Et *Contradist. min.*, *neg. conseq.* Causalitas causarum secundarum minime derogat efficaciæ et potentiæ causæ primæ, sed e contra eas maxime extollit. Sic enim ostenditur Deus potens producere entia, non mere passiva, sed activa et hac sua activitate ipsum imitantia. Porro creaturæ solum ratione activitatis suæ Deum imitari aliquatenus possunt, cum Deus nihil passivi in se habeat. Optime ad rem D. Thomas: «Tunc maxime perfectum est unumquodque, quando potest alterum sibi simile facere: illud enim perfecte lucet, quod alia illuminare potest. Unumquodque autem tendens in suam perfectionem, tendit in divinam similitudinem. Per hoc igitur unumquodque tendit in divinam similitudinem, quod intendit aliorum causa esse» (1).

PROPOSITIO SECUNDA.

Tum spiritus, tum etiam corpora vera vi agendi pollent.

441.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Activitatem animæ nostræ universalis humani generis conscientia testatur; in

(1) S. Thom., *Summ. contr. gent.*, lib. 3, cap. 21, n. 5.

ea enim omnes homines ordinarium suum agendi modum fundant, dum pacta ineunt, promissiones faciunt, etc. Ergo nemo sanus illam revocare in dubium potest. Cum autem anima nostra infimum inter omnes spiritus locum teneat, activitas vera omnibus spiritibus est concedenda. 2.^o Negare activitatem animæ nostræ est libertatem humanam pessumdare, cum de ratione libertatis sit potentia agendi. Sed libertas humana nullo pacto negari potest, cum ea cuique evidentissime propria experientia constet. Ergo... 3.^o Negare activitatem spiritibus est eos vitalitate vera privare, cum actus vitalis sit aliquid ab intrinseco ipsius viventis procedens. Sed vitalitatem spiritus nemo sanus negare aut revocare in dubium potest. Ergo...

442.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Sicut experientia interna irresistibili impulsu ferimur ad asserendam activitatem animæ nostræ, ita externa eodem impetus genere movemur ad affirmandam activitatem rerum sensibilium nos undique circumstantium. Iam vero persuasio hæc, utpote constans, universalis et uniformis, non potest non a ratione ipsa procedere, ac proinde necessario cum veritate debet esse conjuncta. Ergo... Nec vero dicatur in vanis motivis esse fundata: nam modus quo in rebus his sensibilibus phænomena apparent, totus quantus est, nos ducit ad rationabiliter cogitandum illorum effectiōnem ipsis substantiis sensibilibus esse tribuendam.

2.^o Negare activitatem substantiarum materialium est totam scientiam rerum naturalium evertere: non enim aliter quam per suos effectus ascendere in illarum cognitionem possumus; qui quidem in prædicta sententia nulli sunt, cum nihil a corporibus produci queat. Atqui scientia rerum naturalium minime everti potest. Ergo... Optime ad rem P. Suarez:

«Quid enim sensu notius quam quod sol illuminet, ignis calefaciat, aqua refrigeret? Quod si dicant, experiri quidem nos hos effectus præsentibus his rebus, non tamen fieri ab illis, plane destruunt omnem vim philosophicæ argumentationis; quia nos non possumus aliter experiri dimanationem effectuum ex causis, aut ex effectibus causas colligere» (1).

3.^o «Juxta illam sententiam, non possunt viventia a non viventibus distingui; quia non magis haberent res quædam principium suarum actionum quam aliæ. Deinde frustra natura dedisset diversis rebus varias qualitates et virtutes, quas in eis experimur. Imo neque ex actione possemus hujusmodi qualitatum varietatem in elementis colligere, et consequenter neque in aliis rebus. Nam, si ignis non calefacit sed Deus ad præsentiam ignis, æque naturaliter posset calefacere ad præsentiam aquæ: ergo ex illa actione non possumus magis colligere, ignem esse calidum quam aquam... Præterea, juxta illam sententiam, superflue sunt terræ dispositiones, pluvie, arationes, cælorum motus, etc., si hæc omnia nihil agunt; sed sufficeret adesse triticum, ut Deus ad præsentiam ejus triticum generaret, et sic de rebus aliis» (2). Hæc autem omnia contra divinam sapientiam pugnant, ut optime docet D. Thomas (3).

4.^o Denique, ut alia prætereamus, «quod dat alicui aliquid principale, dat eidem omnia quæ consequuntur ad illud; sicut causa, quæ dat corpori elementari gravitatem, dat ei motum deorsum. Facere autem actu consequitur ad hoc quod est esse actu, ut patet in Deo: ipse enim est actus purus, et est prima causa essendi omnibus. Si igitur communicavit aliis similitudinem suam quantum ad esse, in quantum res in esse produxit; consequens est quod communicavit eis similitudinem suam quantum ad agere, ut etiam res creatæ habeant proprias actiones» (4). Ergo...

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 18, sect. 1, n. 6.

(2) Id., *ibid.*, nn. 6-7.

(3) D. Thomas, *contr. gent.*, lib. 3, cap. 69, n. 2.

(4) S. Thom., *cont. gent.*, lib. 3, c. 69, n. 3.

443.—SCHOLIUM.—*Repugnat creatura pure passiva et omni prorsus activitate destituta.* Patet hæc assertio ex verbis D. Thomæ proxime citatis. Nam assimilatio creaturæ ad Deum in ordine essendi fert secum necessario assimilationem ejusdem in ordine agendi, et sic omnis creatura debet esse activa. Præterea, omnis creatura est *natura* quædam: natura autem definitur *primum principium motus et quietis ejus in quo est*, quod æram activitatem sonat. Denique omnis creatura finem suum intrinsecum habet, ad quem vi suæ propriæ naturæ inclinatur, quemque proinde intrinseca sua activitate quærit. Ergo...

Solvuntur difficultates.

444.—Obj. I. Omnis forma tam accidentalis quam substantialis debet fieri ex nihilo; ex materia enim fieri nequeunt, cum non habeant materiam partem sui. Sed solus Deus facere potest aliquid ex nihilo; cum hoc sit creare, quod Dei proprium est. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.* Omnis forma etc. debet fieri ex nihilo *saltem sui*, Conc.: *ex nihilo sui et subjecti*, Neg. Et *contrad. min.*, *neg. cons.* Formæ omnes accidentales et aliquæ etiam substantiales fiunt ex nihilo sui, non vero subjecti: hoc autem non est creare sed generare, quod etiam creaturis competere valet.

445.—Obj. II. *Frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora*, ut ait effatum. Sed Deus potest per se solus omnes effectus in rebus creatis producere. Ergo frustra ad hoc adhiberet creaturas, ac proinde ipse solus eos producere putandus est.

Resp.—*Dist. ant.*—Frustra fit per plura etc., *quando pauciora sufficiunt ad finem ab agente intentum*, Conc.: *quando non sufficiunt*, Neg. Et *contrad. min.*, *neg. cons.* Finis a Deo in mundi creatione intentus est, ut unaquæque creatura pro modulo suo divinas

perfectiones imitetur. Ad hoc autem requiritur, ut unaquæque illarum vere in hoc mundo agat: nam creaturæ Deum imitantur, et quatenus actu existunt, et quatenus aliquid actione sua efficiunt, ut optime notavit D. Thomas loco supra citato (1).

446.—Obj. III. Saltem corpora nihil prorsus agere dicenda sunt. Nam. 1.^o Omne agens, præter primum, requirit aliquod subjectum inferius se: nullum autem est subjectum inferius corpore: ergo corpora nihil prorsus agere possunt, cum careant subjecto ipsis inferiore. 2.^o Corporalis substantia est in ultima distantia a primo agente: ergo sicut primum agens est pure activum sine ulla prorsus passivitate, ita etiam corpora debent esse pure passiva et omni activitate destitui. 3.^o Corpora non agunt nisi prævio motu locali: atqui hunc efficere nequeunt nisi extrinsecus mota: ergo ipsa de se sunt pure passiva et ad solam transmissionem motus inserviunt. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad prob. 1.^{am} *Conc. maj. et min., neg. cons.* Nam, ut recte ait D. Thomas ad hanc objectionem respondens, etiam inter corpora unum est superius altero, et formalius et magis activum; ac proinde in illud agere poterit. Porro. «omne corpus agit secundum suam formam, ad quam comparatur aliud corpus, scilicet patiens, secundum suam materiam, ut subjectum, in quantum materia ejus est in potentia ad formam agentis. Si autem e converso ad formam corporis patientis sit in potentia materia corporis agentis, erunt agentia et patientia ad invicem, sicut accidit in duobus corporibus elementaribus: sin autem, erit unum tantum agens et alterum tantum patiens respectu illius (2)».

Ad prob. 2.^{am}—*Dist. ant.*—Corporalis substantia est in ultima distantia a primo agente *secundum ali-*

(1) S. Thomas, *Cont. gent.* lib. 3, c. 21.

(2) Id., *ibid.* c. 69, n. 9.

quid sui, nempe materiam primam, Conc.: secundum se totam, materiam scilicet et formam, Neg. Inter ea quæ magis distant a primo agente, primum locum tenet *materia prima*, qua constant omnia corpora: quæ, cum sit pura potentia receptiva formarum, nihil activitatis in se continet et est pure passiva. Corpora autem et materia et forma pollent; ac proinde non solum passiva sed etiam activa potentia prædita existunt.

Ad prob. 3.^{am}—*Trans. maj. et min., neg. cons.*—Quamvis demus corpora non posse agere nisi prævia motione locali extrinsecus accepta, exinde solum sequetur ad exercitium suæ activitatis prærequiri hanc motionem extrinsecus advenientem. Hac vero motione posita, jam illa poterunt actiones suas proprias elicere. Nam, ut recte observat S. Thomas loquendo de hac re (1), actio corporis ipsa non fit per motum localem, sed per hoc quod aliquid reducitur de potentia in actum. Reducunt autem corpora de potentia in actum materiam, communicando illi formam seu perfectionem, ad quam ipsa est in potentia, quamque corpora agentia habent in actu. Sed de natura activitatis corporeæ uberius dicitur in Cosmologia.

Inst. 1.^o Corpora sunt inertia: sed iners et activum sunt contradictoria. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Corpora sunt inertia, *quatenus nonnisi mota agere possunt ac proinde ipsa ex se suum motum mutare nequeunt*, *Trans: quatenus omni activitate destituuntur*, *Neg. Et contrad. min., neg. cons. sub distinctione data.*

Inst. 2.^o Corpora aguntur et non agunt: ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—*Quatenus non habent dominium sui actus, ut agentia libera*, *Conc.: quatenus nullam*

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* I. p. q. 115, art. 1. ad 3.^{am}

activitatem exercent, Neg. In hoc sensu non solum corpora sed etiam belluæ dicuntur agi et non agere (1).

ARTICULUS VI.

De requisitis ad agendum.

447.—Omnis causa ad agendum certas quasdam condiciones postulat; sine quibus nunquam effectum suum producet, quamvis forte sufficienti ad illum causandum virtute sit instructa. Sic *candela* ex. gr. flammam in se non concipit, nisi actione alicujus agentis externi ad inflammationem excitetur; et Sol cubiculum non illuminat, nisi via pateat, per quam radios suos immittere valeat. Porro condiciones hæ *requisita ad agendum* vocantur, duplicisque generis existunt. Nam aliquæ virtutem activam causæ complent atque in ejus effectum influunt; aliæ vero non sunt nisi puræ condiciones et nullam causalitatem in illo producendo exercent.

448.—Requisita ad agendum alia se tenent ex parte *actus primi*, alia vero ex parte *actus secundi*. Porro causa dicitur esse in actu primo relate ad suum effectum, cum nondum illum emittit. Et quidem, si sufficiente virtute polleat ad illum causandum, erit in actu primo *completo*; quia nihil ei virtutis deest ad illum producendum: si vero ejus virtus compleri indigeat, erit in actu primo *incompleto*. E contra causa dicitur esse in actu secundo, quando jam est in exercitio suæ actionis et de facto effectum suum producit.

449.—Requisita ex parte actus primi, si loquamur de causa prima, non alia possunt esse nisi possibilitas effectus; siquidem causa prima est independens ab omni re in operando et solam postulat possibilitatem effectus. Si autem loquamur de causis secundis, requisita prædicta varia, ut inquit Suarez (2), numerari solent, sed tria sunt graviora et difficiliora, et ad ea

(1) S. Thom. *Qq. disp.* q. 5, de verit. art. 9. ad 4.^{um}

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 18, set. 7, n. 1.

omnia alia revocantur: scilicet, *distinctio necessaria inter agens et passum, propinquitas et dissimilitudo*. Requisita autem ex parte actus secundi in concursu consistunt, quem unaquæque ex causis ad effectum aliquem concurrentibus apponere debet. Si enim aliqua ex illis concursum hunc ob quamlibet rationem non præstet, reliquæ effectum illum minime producent, licet viribus integræ permaneant. Sic, quamvis *ignis* ex. gr. integris viribus polleat ad comburendam stuppam convenienter ei applicatam; tamen de facto eam comburet nunquam, si Deus suum concursum ad actionem comburendi denegare velit. Porro quæ ad concursum ex parte causæ primæ ad omnes causarum secundarum effectus necessarium spectant, Theodiceæ sunt propria. Hic ergo de requisitis ex parte actus primi tantum agere oportet: quem in finem sequentes propositiones breviter demonstrare conabimur.

PROPOSITIO PRIMA.

Inter agens et passum semper intercedit realis distinctio.

450.—*Prænot.* Dicitur agens *causa quævis actionem aliquam producens*; passum vero seu patiens est *subjectum quodvis actionem alicujus agentis in se recipiens*. In thesi minime asserimus agens et passum semper distingui supposito; nam dantur etiam entia ipsa se moventia, qualia sunt omnia vitam habentia; sed dicimus tantum principium proximum cujusvis actionis realiter distingui a subjecto proximo hujus actionis, quamvis forte utrumque principium in eodem supposito inveniatur.

451.—*Demonst.*—Omne agens est in actu relate ad illam formam seu perfectionem, quam causat in passo, et ad quam ipsum passum est in potentia. Nam agens in tantum agit, in quantum virtualiter continet in se perfectionem, quam actione sua producit: passum vero in tantum recipit actionem agentis, in quantum caret perfectione illa, quam agens actione sua illi communicat, ac proinde in quantum est in potentia ac illam. Sed impossibile est ut idem

secundum idem sit in potentia et in actu relatè ad aliquam formam, quia hoc pugnat manifeste cum principio contradictionis. Ergo agens et patiens semper sunt realiter distincta. Hinc patet veritas illius principii aristotelici: *Omne quod movetur, ab alio movetur*. Nam quod movet, est agens; et quod movetur, est patiens seu passum: ac proinde per memoratum principium nihil aliud enuntiatur nisi illud ipsum, quod in nostra propositione asseritur.

Solvuntur difficultates.

452.—Obj. I. Vires naturales causarum secundarum per quamdam naturalem resultantiam emanantium a natura in hac ipsa natura recipiuntur. Motus item dilatationis et contractionis, qui sponte naturæ in corde animantium perficitur, in hoc ipso corde remanet. Motus denique gravium vi sui proprii ponderis in loca sibi convenientia tendentium in ipsis corporibus gravibus residet. Ergo propositio nostra patitur aliquas exceptiones ac proinde non est generaliter vera.

Resp.—*Conc. ant. et neg. cons.*—Omnes enim hæ actiones sunt pure naturales et necessariae ad esse integrum et completum entium illas efficientium. Unde, quamvis in rebus ipsis illas emittentibus recipiantur, non ideo tamen infirmant assertum propositionis nostræ; quia omnes tribui debent generanti, juxta illud axioma: *Qui dat formam, dat consequentia ad illam*. Optime ad rem D. Thomas: «Corpora gravia et levia moventur a motore extrinseco, vel generante, qui dat formam, vel removente prohibens, ut dicitur in 8 *Physic. textu* 32; et ita non movent se ipsa sicut corpora viventia» (1).

(1) S. Thom. *Summ. Theol.*, 1. p. q. 18, art. 1, ad 2.^{um}

453.—Obj. II. Motus localis animalium, cum sit operatio quædam vitalis, non potest tribui generanti, sed ipsis animalibus vitaliter se moventibus. Atqui motus hic non recipitur in patiente realiter distincto ab agente. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.* Nam in primis animal non se movet per se primo, id est, ita ut unaquæque pars se ipsam moveat; sed per unam partem, scilicet integram et organicam, movet aliam: ac proinde in motu locali animalium agens realiter distinguitur a patiente, saltem secundum partes. Deinde illa ipsa pars animalis, quæ primo movet ceteras, movetur etiam suo modo, sive motu reali sive metaphorico, ab extrinseco motore. Nam facultas locomotiva animalis eatenus agit, quatenus suo modo agitur a facultate appetitiva: hæc rursus eatenus movet locomotivam, quatenus movetur a facultate apprehensiva: hæc tandem non movet appetitivam nisi quatenus mota ab objecto externo. Unde motus localis animalium habet pro vero agente, non modo facultatem locomotivam, sed appetitivam quoque et apprehensivam et ipsa etiam agentia exteriora, ut nihil interim dicam de causa prima, quæ est etiam verum agens motuum prædictorum. Nam hæc omnia agunt in productione horum motuum, et sine illorum vero influxu non possunt ab animalibus produci. Ergo manifestissimum est in motu etiam partis primo ceteras moventis distingui realiter agens a patiente; quia subiectum illius motus est sola illa pars motum recipiens et causans, causa vero sunt alia etiam multa agentia, quæ motum illum minime in se recipiunt.

454.—Obj. III. Actus vitales, qui ab intellectu et voluntate in nobis eliciuntur, in his ipsis facultatibus remanent. Ergo in illis agens et patiens realiter non distinguuntur.

Resp.—*Conc. ant. et neg. cons.*—Nam patiens relate ad actus intellectuales est solus intellectus; agens vero est non solum intellectus sed etiam omnia alia agentia, sine quorum influxu actus prædicti naturaliter produci nequeunt, ut dictum est in responsione ad difficultatem præcedentem (1).

PROPOSITIO SECUNDA.

Agens in passum omnino distans agere nequit.

455.—*Prænot.*—Asserimus in hac thesi nullum agens creatum, (nam de increato sermo in Theodicea occurret), agere in passum valere, nisi sit ei localiter immediatum, sive *immediatione suppositi*, sive *immediatione virtutis*. Porro prima ex his immediationibus habetur, cum agens per ipsam suam entitatem immediate conjungitur passo; ut cum *manus* ex. gr. immediate tangit baculum, quem ipsa movet. Secunda vero tunc existit, cum agens conjungitur passo per aliquem effectum ab illo causatum et virtute quadam activa ab eo donatum: ut cum *Sol* v. gr. illuminat terram mediante lumine per illum productum, aut cum *homo* occidit hominem mediante lapide in eum immisso.

Est contra recentes quosdam physicos statuentes mutuam corporum attractionem per vacuum intermedium peractam et contra Scotum, qui possibilitatem actionis in distans tuitus est.

456.—*Demonst.*—1.º Id constat ex quotidiana rerum experientia; quæ nos docet omnia hæc agentia sensibilia aliquam semper ex duabus immediationibus prædictis ad suas actiones postulare. Nam corpora sonora, lucida, etc., non aliter emittunt sonum, lumen, etc., ad alia corpora, nisi ipsa immediate tangendo, sive immediatione suppositi, sive immediatione virtutis. Unde recte concludere possumus id ab omnibus aliis agentibus finitis requiri. 2.º Id etiam

(1) Cfr. Suarez, *Metaph.* disp. 18, sect. 7.

ratione ostenditur. Nam *a*) agens est quodammodo actus ipsius passi, et passum est quodammodo in potentia ad agens; actus autem et potentia ex sua ratione postulant esse indistantes, ut inter se rationem actus et potentiæ exercere possint. Deinde *b*) agens debet passo applicari, ut in illud agere valeat; nam sicut repugnat ut agat sine virtute activa, ita etiam impossibile est ut agat in passo sine applicatione hujus virtutis ad illud: passo autem applicari nequit res ulla, quin sit ibi, ubi ipsum est. Ergo agens et passum debent esse simul, ut illud in hoc physice influere valeat (1).

Solvuntur difficultates.

457.—Obj. I. Res corporea agere nequit ubi ipsa est; quia ibi altera simul existere nequit. Ergo debet agere ubi illa non est.

Resp.—*Dist. ant.*—Res corporea agere nequit, ubi ipsa est *secundum se totam*, Conc.; *secundum aliquid sui*. Neg. Ad prob. *Dist.* Ubi est res aliqua corporea *secundum se totam*, ibi altera existere nequit, *Trans.*; ubi est, *non secundum se totam, sed secundum aliquid sui, secundum externam scilicet ejus superficiem*, Neg. Et sub datis distinctionibus *nego cons.* Res corporea, ut agere in aliam possit, debet conjungere illi externam suam superficiem: quo fiet, ut extremæ superficies agentis et passi existant simul simultate contiguitatis et minime distent inter se.

458.—Obj. II. Sol terram ad se attrahit immediate et per nullas substantias interjacentes. Secus enim majore vi illam attraheret tempore ecclipsis lunaris; quia tunc terra est inter lunam et solem; qui proinde ut

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.*, 1. p. q. 8, art. 1. et *cont. gent.* lib. 3. cap. 68.

traheret lunam ad se, tractionem hanc deberet prius in terram exercere. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—Sol terram ad se attrahit, *illam aliquo modo excitando, ut vi sui proprii ponderis ipsa in eum vergat*, Trans.: *impetum tractionis in eam exercendo, ad eum fere modum quo funibus trahitur aliqua navis aut currus*. Neg. Corpora vi suæ propriæ gravitatis tendunt ad se conjungendum, non autem tractione aliqua vera et reali extrinsecus causata. Gravitatis enim vis erat eis necessaria ad agendum in alia corpora distantia, cum aliter ad illa accedere non possent; ac proinde vis hæc intrinseca esse debebat et conveniens ratione ipsius naturæ, cum natura in necessariis numquam deficiat (1).

459.—Obj. III. Unumquodque agens, quantumvis finitum, determinatam quamdam sphæram activitatis habet, intra quam potest operari. Ergo, dummodo passum intra hanc sphæram existat, agere in illud poterit absque ullo contactu. (Ita Scotus inter antiquos et aliqui Physici inter recentiores.)

Resp.—*Conc. ant. et neg. cons.*—Agens enim intra hanc ipsam sphæram debet uniri passo per aliquam

(1) Apposite ad rem P. Pesch (*Inst. Phil. Nat.* n. 75, prænot. 2, b): «Non est absurdum asserere terram v. gr. motibus ætheris sole effectis pro sua parte (i. e. ex appetitu appropinquandi ad alia corpora, qui omnibus corporibus communis est) ad activitatem excitari, qua (mediantibus fortasse motibus iterum ætheris) ad solem tendat; et ex altera parte solem motu ætereo a terra profecto excitari, ut ipse ad terram versus moveatur. Quod si ita res se habet, sol et luna quasi ex longinquo inter se agunt, seque attrahere videntur.» Profecto, hoc modo excitationis posito, actio in distans, de qua nunc agimus, minime ad gravitationem corporum cœlestium necessaria est.

saltem substantiam intermediam, in quam immediate agat, ut in illud mediate agere possit.

460.—Obj. IV. Saltem spiritus puri agere in distans dicendi sunt. Nam deest illis quantitas, qua contingere possint corpora; et præterea hac facultate indigent ad manifestandum aliis spiritibus procul positae suas ideas. Ergo...

Resp.—Neg. ant.—Ad rat. 1.^{am} neg. cons. Duplex enim est contactus, alius nempe *quantitatis*, alius vero *virtutis*: primo indigent corpora ad agendum in alia, secundo vero spiritus puri.

Ad rat. 2.^{am} dico, difficile omnino esse scire quomodo spiritus puri communicent aliis spiritibus puris suas ideas. Si autem agendo in illos eas communicare supponamus, hæc communicatio nonnisi per contactum physicum et immediatum loquentis et audientis explicanda est (1).

PROPOSITIO TERTIA.

Agens in passum agere nequit, nisi quatenus est sibi dissimile in forma seu termino actionis.

461.—Prænot.—Dicimus passum, ut agens in illud agere valeat, debere esse illi dissimile in forma seu termino actionis. Hoc autem intelligendum est de initio actionis, nam in fine potius haberi debet similitudo: agens enim per suam actionem nihil aliud intendit nisi communicare passo suam formam ac proinde reddere illud simile in ipsa.

462.—Demonst.—1.^o Agens non agit nisi quatenus est in actu relate ad formam, quam producere inten-

(1) Cfr. Suarez, *Metaph.* disp. 18, sect. 8., ubi late de actione in distans sermo fit.

dit; et passum non recipit nisi quatenus est in potentia receptiva relate ad hanc ipsam formam. Sed esse in actu et esse in potentia relate ad aliquid importat conditionem dissimilitudinis relate ad illud. Ergo... 2.^o Si inter agens et passum negetur dissimilitudo prædicta, varia debent incommoda admitti. Nam: a) nulla erit ratio cur e duobus similibus unum potius quam aliud agere debeat; b) idem poterit se ipsum intendere ac perficere; c) nullus erit finis actionum, sed post perfectam pugnam inter contraria, et post assimilatum passum per victoriam, tunc de novo inchoabitur actio: quæ omnia cum ratione pugnant. Ergo...

Solvuntur difficultates.

463.—Obj. I. Interdum agens agit in se ipsum secundum eandem partem, qua recipit, ut patet in actibus intellectus et voluntatis. Atqui impossibile est ut idem sit ipsi dissimile secundum eandem partem. Ergo.

Resp.—*Dist. maj.*—*Et tunc agens totale realiter distinguitur a passo, ipsique dissimile est*, Conc.: *et tunc agens totale est idem cum passo*, Neg. Hinc., *concessa minore, nego consequentiam*. Ut constat ex supradictis (454), in ipsis actibus immanentibus intellectus et voluntatis datur realis distinctio inter agens et passum. Hinc in his ipsis actibus evenire optime poterit, ut agens illorum *totale* sit vere dissimile passo. Nam causa prima, quæ ad totalitatem hujus agentis pertinet, non est in potentia receptiva relate ad actus nostri intellectus et voluntatis, sed solum in purissimo actu; dum e contra intellectus et voluntas, quatenus subjecta illorum, debent esse in potentia receptiva relate ad ipsos.

464.—Obj. II. Dissimilitudo prædicta ideo præcipue erit necessaria, quia agens debet superare sua virtute passum. Sed ut agens agat in aliquo, non debet superare illum sua virtute; quia secus hoc non posset in illud reagere, quod tamen experientia constat esse falsum. Ergo...

Resp. — *Trans. maj. et neg. min.* Ad rat. addit. *Dist.* Non posset in illud reagere, *si sub omni ratione foret illo debilius*, Conc.; *si sub aliqua saltem ratione remaneat illo fortius*. Neg. Passum, sub ea ratione qua in agens reagit, fortius illo est: habet enim in actu perfectionem, ad quam aliud est in potentia (1).

465.—SCHOLIUM.—Circa requisita ad agendum notare oportet, causas necessarias in actu primo proximo constitutas ab agendo abstinere non posse, liberas autem etiam tunc posse actionem omittere. Ratio hujus diversitatis est; quia causæ liberæ habent dominium suorum actuum et ipsæ sibi actionem determinant, necessariae autem his perfectionibus destituuntur (432).

ARTICULUS VII.

De actione et passione.

Postquam de causa efficiente egimus; nunc de actione et passione, quæ ex illa ortum habent, aliqua dicere oportet. Ut autem ordinate procedamus, rem totam in duos paragraphos partiemur.

§ I. QUID ET QUOTUPLEX SIT ACTIO.

466.—«Actio, scribit Sanctus Thomas, secundum primam nominis impositionem importat originem motus. Sicut enim motus, prout est in mobili aliquo, dicitur *passio*; ita origo motus,

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 18, sect. 9 per totam.

secundum quod incipit ab alio et terminatur in id quod movetur, vocatur *actio*» (1). Hinc *actio ut via quædam et fluxus causæ in effectum* ab omnibus concipitur. Quando effectus per eam productus efficitur *ex nihilo sui et ex nihilo subjecti*, vocatur *creatio*; quando vero effectus producitur *ex nihilo quidem suised non ex nihilo subjecti*, dicitur simpliciter *actio*. Prima ex his duabus actionibus soli Deo competit; quia sola causa absolute independens efficere potest entia quoad totum esse quod habent, causæ vero secundæ efficere nihil valent nisi ex aliquo subjecto seu materia jam præexistente. Secunda omnibus causis secundis communis est; omnis enim causa secunda producere aliquid potest in aliquo subjecto, imprimendo illi aliquam formam. Hoc loco de actione tantum simpliciter tali agemus, nam de creatione in Theodicea aptius disseretur. Atque ut clarius ac pressius rem totam explicemus; doctrinam, quæ nobis cum Suarezio magis probatur, sequentibus propositionibus trademus.

PROPOSITIO PRIMA.

Actio est causalitas causæ efficientis atque ultimus actus potentiæ activæ.

467.—*Prob. 1.^a p.*—Id est causalitas causæ efficientis, quod eam constituit actu agentem. Sed causa efficiens non constituitur actu agens nisi actione: hac enim posita, jam intelligitur actu agens; ea vero sublata, numquam est in exercitio agendi. Ergo (2).

468.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Actio est ipsa causalitas causæ efficientis, per quam hæc constituitur actu causans. Sed causalitas causæ est ultimus actus potentiæ activæ: nam per illam constituitur causans in actu secundo, qui est ultimus actus potentiæ activæ et ipsum exercitium causandi. Ergo... 2.^o Actio est id,

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 41, art. 1, ad 2.^{um}

(2) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 18, sect. 10.

quod proxime egreditur a potentia activa, ideo enim ab omnibus concipitur ut via quædam et tendentia ad effectum. Sed quod proxime egreditur a potentia activa, recte dicitur ejus exercitium seu ultimus actus. Ergo...

Solvuntur difficultates.

469.—Obj. I. *Contra 1.^{am} p.* Causalitas non causatur, sed per illam causatur effectus. Sed actio causæ efficientis causatur ab ea, cum ab illa egrediatur in effectum. Ergo actio realiter distinguitur a causalitate causæ efficientis.

Resp.—*Dist. ant.* Causalitas non causatur *ut quod*, Conc.; *ut quo*, Neg. *Et contradistincta minore, nego consequ.* Causalitas est id, quo formaliter agens constituitur causans effectum; ac proinde ipsa non proprie causatur, sed effectus. Quoniam vero agens non causat, nisi quatenus actio vere egreditur e sua virtute; ideo actio hæc est etiam quid ab ea emanans et vere causatum, ut res *qua* effectus producitur.

470.—Obj. II. *Contra 2.^{am} p.*—Actio in re non est aliud quam dependentia effectus a causa; est enim ipse effectus, prout ex hac determinata causa egrediens. Sed dependentia effectus a causa non est ultimus actus potentiæ activæ, cum respectum ad causam non dicat sed ad effectum. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.* Ad rat. addit. *Dist.* Dependentia effectus a causa non dicit respectum ad causam *sub ratione dependentiæ præcise*, Trans.; *sub ratione fluxus et emanationis ab ea*, Neg. Dependentia hæc dicit intrinsecam et transcendentalem relationem et ad causam et ad effectum: *ad causam* quidem, quatenus est quid egrediens e sua virtute, quo formaliter causat ipsa suum effectum; *ad effectum* autem, quatenus est quid in effectu existens et formaliter

exprimens originem ejus ex tali causa. Hinc ratione sui intrinseci respectus ad causam dicitur esse *exercitium et actualitas quædam extrinseca* ipsius potentiæ activæ.

PROPOSITIO SECUNDA.

Actio in re non est nisi specialis illa dependentia, quam effectus habet a sua causa efficiente; et non est in agente sed in passo.

471.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Omnis effectus pendet a sua causa per causalitatem ipsius causæ. Sed causalitas causæ efficientis est ipsa ejus actio (467). Ergo effectus causæ efficientis non dependet ab illa nisi per ejus actionem; ac proinde actio non distinguitur realiter a speciali illa dependentia, qua effectus dependet in suo fieri a sua causa efficiente. 2.^o Posita dependentia prædicta et præcisa omni alia re aut modo reali, necessario res dependens est effecta; et illa, a qua dependet, est actu agens. E contra, non posita hac dependentia, quantumvis aliud quid positum fingamus; impossibile est concipere in una re rationem effectus et in altera rationem causæ agentis. Ergo dependentia prædicta debet realiter identificari cum actione; quia secus non posset hoc accidere.

472.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Actio in re identificatur cum speciali illa dependentia, quam habet effectus a sua causa efficiente, ut constat ex proxime dictis. Sed dependentia non potest distingui a re quæ dependet nisi ut modus ejus. Ergo actio debet esse quid existens in effectu ipso et non in agente. 2.^o Non solum effectus sed ipsa etiam actio fluit active a virtute agentis, non quidem per aliam actionem sed per se ipsam: actio enim est quid temporale ac proinde vere fit et manat a sua causa. Atqui actio non ita

fluit a virtute agentis, ut postulet ex se manere in hac virtute. Nam secus agens, quatenus agens, mutaretur: quod est impossibile; quia agens, quatenus agens, mutat quidem alias res, sed ipsum non mutatur. Neque vero contra hoc pugnat quod dicit S. Thomas per hæc verba. «Non enim potest esse, quod in agente sit nova actio, nisi aliquo modo moveatur, saltem de otio in actum» (1). Nam motio agentis de otio in actum, non physica, sed moralis est et metaphorica respectu agentis ipsius, ut agens est.

Solvuntur difficultates.

473.—Obj. I. *Contra 1.^{am} p.*—Dependentia oritur ex actione: ideo enim effectus pendet, quia fit. Ergo actio non est ipsa dependentia sed aliquid prius illa.

Resp.—*Dist. ant.*—Dependentia oritur ex actione *logice*, Conc.; *physice*, Neg. Ad rat. addit. *Dist.* Ideo *formaliter* effectus pendet, quia fit, Conc.; ideo *causaliter*, Neg. Dependentia non est in re quid distinctum ab actione, sed ratione tantum ab illa differt. Ideo cum dicitur res dependere quia fit, non est sensus quod dependentia manet physice ab actione, sed quod entitas illa, ratione cuius effectus dependet a causa, in tantum est dependentia effectus, in quantum est simul exercitium et actualitas quædam extrinseca causæ efficientis. Dependentia enim habet in sua entitate intrinseca duos respectus transcendentales, unum ad effectum et alterum ad causam, ut nuper dictum est (470); quorum primus concipitur a nobis ut causa secundi.

474.—Obj. II. *Contra 2.^{am} p.*—Actio non est in passo sed in agente. Nam a) actio est forma et actus

(1) S. Thom., *Cont. gent. lib. 2, cap. 35, n. 1.*

agentis; forma autem et actus nequeunt esse nisi in subjecto per eadem actuato. *b)* Si in aliquo subjecto extra agens existeret, denominaret illud; actio autem non denominat nisi agens. *c)* Actio creata est perfectio agentis; nam unumquodque ens creatum est propter operationem, quæ illud perficiat ac compleat; perfectio autem non est nisi in re per eam perfecta. *d)* Denique actionem creaturarum in ipsis agentibus reponit D. Thomas dicens: «Actio, quæ non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subjecto» (1). «Actio ut actio consideratur ut ab agente; in quantum vero est accidens consideratur ut in subjecto agente» (2). Ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—Actio est in agente *tamquam in principio a quo*, Conc.; *tamquam in subjecto*, Neg. Ad rat. 1.^{am} *Dist.* Actio est forma et actus agentis *emanans*, Conc.; *inhærens et intrinsece denominans*, Neg. Eo pacto quo potentia activa dicitur potentia, actio ab illa manans dici potest actus ejus, non ut subjecti, sed ut principii a quo: hic est enim essentialis respectus actionis, ut sic. Melius autem quam potentia deberet dici actus potentia activa: est enim verus actus primus et, quatenus activa, nihil debet recipere; cum agens, ut agens, non mutetur, sed simpliciter transeat ex actu primo ad secundum.

Ad rat. 2.^{am} *Dist.*—Denominaret illud *sub ea ratione qua est in eo*, Conc.; *sub ratione qua est in agente*, Neg. Actio in passo est sub ratione rei acceptæ, seu sub ratione passionis; ac proinde illud denominare debet passum seu recipiens: in agente autem est, ut in principio a quo, et hæc est ratio cur illi tribuat denominationem agentis.

(1) S. Thom. *Cont. gent.* lib. 2, c. 9.

(2) Id. *De Potentia*, q. 7, art. 9 ad 7.^{um}

Ad rat. 3.^{am} *Dist.*—Actio *immanens* est perfectio agentis, Conc.; actio *transiens*, subdist.: est perfectio agentis *ab illo promanans*, Conc.; *in eo recepta*, Neg. Actio immanens est quidem perfectio agentis, quia in ipso agente recipitur effectus per eam productus. Actio autem transiens ad terminum extrinsecum proprie non est nisi perfectio hujus termini: dicitur autem perfectio ipsius agentis, quatenus bonum est illi ut passum per eam perficiatur. Ad rem D. Thomas: «Agentia autem, sive moventia, vel etiam causæ, aliquando habent ordinem ad patientia, vel mota, vel causata; in quantum scilicet in ipso effectui, vel passione, vel motu inductis attenditur quoddam bonum et perfectio moventis vel agentis: sicut maxime patet in agentibus univocis, quæ per actionem suæ speciei similitudinem inducunt; et per consequens esse perpetuum propriæ speciei, secundum quod est possibile, conservant» (1).

Ad rat. 4.^{am} *Respondeo* Sanctum Thomam expresse tradere nostram doctrinam in *Commentariis ad lib. 3. Aristotelis de anima c. 2*. Dicit enim ibi in lectione secunda actionem non esse in agente ut in subjecto, sed solum ut in principio a quo; et hanc esse rationem cur non sit necessarium ut omne movens moveatur. Unde, quando in citatis locis ait actionem esse in agente sicut accidens in subjecto, intelligendus est loqui de inhærentia logica et denominativa vel de relatione prædicamentali, quæ mediante actione in eo resultat post effectum productum.

(1) S. Thom. *De Potentia*, q. 7, art. 10, in 9.

PROPOSITIO TERTIA.

Actio ex natura rei distinguitur a suo termino: repugnat autem actio sine termino intrinseco per eam producto.

475.—*Prob. 1.^a p.*—Terminus actionis nihil aliud est quam effectus agentis. Sed inter effectum agentis et actionem, qua producitur, datur distinctio modalis, seu ex natura rei. Ergo... *Prob. min.* Atque in primis, dari distinctionem a parte rei inter actionem et ejus terminum ex eo patet, quod hic non dicat respectum transcendentalem ad suam causam, illa vero eam in se includat (415). Deinde, hanc distinctionem esse simpliciter modalem res est evidentissima; quia actio non est nisi ipse effectus, quatenus productus ab illa determinata causa. Unde nec per ipsam quidem divinam omnipotentiam fieri quit, ut actio in se sola et extra terminum existat. Ergo...

476.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Actio, ut actio, si sit vera ac propria; nihil aliud est quam productio et effectio. Sed impossibile est vel mente concipere veram productionem, quin sit aliquid per eam productum. Ergo repugnat actio sine termino per eam producto. 2.^o Actio, ut actio, non dicit formam quæ habeat propriam entitatem, sed modum alicujus formæ vel entitatis, nimirum dependentiam ejus ab agente. Sed de ratione modi est ut sit alicujus rei modus, neque aliter reperiri potest. Ergo actio seu dependentia prædicta essentialiter postulat terminum intrinsecum illius, seu rem quæ ratione illius ab agente dependeat in suo fieri (1).

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 48, sect. 1.^a et 2.^a

Solvuntur difficultates.

477.—*Contra* 1.^{am} *p.*—Obj. I. Distinctio modalis inter actionem et ejus terminum ad hoc statuitur, ut causam et effectum per se indifferentes determinet actio. Sed causa jam ante actionem debet concipi determinata ad effectum. Ergo distinctio prædicta admitti nequit.

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—Causa jam ante actionem debet concipi determinata *in actu primo* ad effectum, *Conc.*; *in actu secundo*, *Neg.* Non obstante determinatione causæ in actu primo ad effectum, adhuc remanet vere indifferens relate ad illum in actu secundo; quia cum tota illa determinatione componi potest ut effectus ex illa causa de facto non sequatur. Ergo ut tollatur hæc indifferentia, debet poni actio modaliter distincta tam a causa, quam ab effectu.

478.—Obj. II. Si actio modaliter distingueretur a suo termino; daretur aliquid in rerum natura. quod non posset produci a solo Deo: modalitas enim illa essentialiter dependeret a causa secunda, ex qua emanaret. Sed hoc pugnat cum illo philosophorum effato: *Quod potest Deus efficere cum causis secundis, potest etiam efficere ipse solus.* Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Effatum illud solum enuntiat, res omnes factas a Deo simul cum causis secundis per unam speciem actionis posse etiam produci a solo Deo per aliam actionem specie diversam. Hoc autem etiam nos dicimus, licet fateamur actiones rerum creaturarum essentialiter emanantes a Deo simul et creaturis non posse emanare a solo Deo. Ergo doctrina nostra minime pugnat cum effato prædicto: nam aliud est actio, de qua nos lo-

quimur; et aliud terminus actionis, de quo loquitur effatum.

479.—*Contra 2.^{am} p.*—Obj. III. Actiones immanentes seu receptæ in ipsa virtute eas causante, ut *visio*, *auditio*, etc., sunt puræ actiones sine termino per eas producto. Nam a) juxta Aristotelem, quædam sunt actiones, quarum non est aliud opus præter se ipsas; hæ autem nequeunt esse aliæ quam immanentes. b) Visio corporalis nihil producit in objecto, neque in ipsomet vidente præter se ipsam: et idem potest dici de aliis actionibus immanentibus. c) Actiones hujusmodi non sunt institutæ a natura ad aliquid producendum, sed ad simpliciter uniendum potentias objectis suis; ac proinde nihil debent producere præter se ipsas. Ergo actio sine termino intrinseco non repugnat.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad prob. 1.^{am} *Resp.* Aristoteles solum vult significare, per quasdam actiones non produci rem aliquam *extra ipsum agens*. Sed minime negat per has actiones, quibus nihil producitur ad extra, produci aliquid *intra ipsum agens*.

Ad rat. 2.^{am}—*Concedo primam partem et nego secundam.*—Visio corporalis nihil quidem producit in objecto externo, circa quod versatur; sed producit in subjecto vidente qualitatem quamdam vitalem, quæ informando potentiam visivam refert illam ad suum objectum.

Ad rat. 3.^{am}—*Dist.*—Actiones visivæ, etc., non sunt institutæ a natura ad producendum aliquid *ad extra*, sed ad simpliciter uniendum potentias suis objectis, *mediate qualitate aliqua per eas effecta*, Conc.; non sunt institutæ ad producendum aliquid *neque ad extra neque ad intra*, sed ad simpliciter uniendum potentias suis objectis *immediate per se ipsas*, Neg. Actiones potentiarum cognoscitivarum et appetitivarum ex se

quidem ordinantur ad uniendas potentias suis objectis; sed hanc unionem producere nequeunt nisi mediantibus qualitatibus, sive cognoscitivis, sive appetitivis, per illas causatis et in potentiis receptis.

PROPOSITIO QUARTA.

Actio principaliter dividitur: 1.º in substantialem et accidentalem; 2.º in creativam et generativam; 3.º in immanentem et transeuntem; 4.º denique in impetitivam et resistivam.

480.—*Demonst. a)*—Agens vel producit sua actione aliquam substantiam, vel aliquod accidens. Si *primum*; actio ejus erit substantialis, v. gr. productio *animæ humanæ*. Si *secundum*; actio erit accidentalis, ut productio *albedinis* in pariete. *b)* Deinde agens vel producit substantiam ex nihilo sui et subjecti, ut cum producitur *substantia aliquæ spiritualis*; vel ex nihilo quidem sui sed non ex nihilo subjecti, ut cum fit *anima equi*. Si *primum*; actio erit creativa. Si *secundum*; erit generativa. *c)* Præterea, actio accidentalis habet pro termino qualitatem aliquam vel in ipso agente remanentem; et tunc erit immanens, quia actio ibi est, ubi est terminus ejus: vel in passo agenti extrinseco receptam, et tunc erit transiens. *d)* Denique, vel agens sua actione intendit aggredi passum et illud forma aliqua spoliare, ut aliam ei communicet, et tunc actio hæc erit impetitiva: vel e contra passum actione sua in agens reagit, ne sua propria forma privetur eique alia nova introducatur, et tunc actio erit resistiva. Ergo...

481.—*SCHOLIUM.*—Circa resistantiam passi ad recipiendam formam ab agente intentam notandum est, duplici modo fieri posse; *formaliter* scilicet per immediatam repugnantiam, et *radicaliter* quasi per diminutionem virtutis agentis. Resistentia

primi generis sine ulla actione fit; solumque in eo consistit, quod subjectum per qualitatem aut dispositionem in ipso existentem impedit ne alia forma vel actio in illud introducatur, quæ cum illa qualitate aut dispositione formaliter pugnat. Ex illa enim sola impossibilitate formarum naturaliter resultat, ut actio contrarii agentis vel impediatur prorsus, vel retardetur ac remissior fiat. Resistentia autem secundi generis cum vera actione habetur; et passum, quatenus illam exercet, est verum agens et non passum: solumque resistere dicitur, quatenus actione sua vires agentis illud invadentis elidere conatur. Proinde non omnis resistentia est actio sed illa sola quæ per vires agentis conatu aliquo fit, de quo videndus est Suarezius *Metaphys.*, disp. 43, sect. 1. n. 7 et seqq.

§ II. QUID ET QUOTUPLEX SIT PASSIO.

482.—*Passionis* nomen varia significat. *Primo* enim sumitur propriissime pro remotione formæ vel qualitatis, quæ rei convenit secundum naturam aut secundum propriam inclinationem; sicut cum *homo ægrotat* aut *tristatur*. *Secundo* minus proprie dicitur aliquis pati, ex eo quod aliquid ab ipso abjicitur; sive sit ei conveniens sive non: et secundum hoc dicitur pati, non solum qui ægrotat, sed etiam qui sanatur; non solum qui tristatur, sed etiam qui lætatur, vel quocumque modo alteretur vel moveatur. *Tertio* dicitur aliquis pati communiter, ex hoc solo quod, cum sit in potentia ad aliquid, recipit illud, sive abjiciatur ex illo aliqua alia res sive non. Secundum quem modum omne, quod exit de potentia in actum, potest dici pati, etiam cum perficitur. Et sic intelligere nostrum est pati (1). Tertio hoc ultimo modo generalissimo sumitur passio in hoc paragrapho; sic enim respondet actioni omni creaturarum, quæ semper fit ex præsupposito aliquo subjecto.

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 79, art. 2.

PROPOSITIO PRIMA

Actio et passio nec realiter, nec ex natura rei, sed sola ratione ratiocinata inter se distiguuntur.

483.—*Prob. 1.^a p.*—Tam actio quam passio sunt in passo, et ab eo nonnisi modaliter distinguuntur. Sed duo modi ejusdem rei non possunt inter se distingui tamquam res a re, ut manifeste patet. Ergo actio et passio non distinguuntur realiter, sed ad summum erit inter eas distinctio ex natura rei.

484.—*Prob. 2.^a p.*—Actio et passio tam intime conjunguntur in una mutatione, ut neque per ipsam potentiam Dei absolutam separari ab invicem possint. Ergo signum est non haberi a parte rei distinctionem inter illas. Consequentia videtur certa: nam ubi tanta datur inseparabilitas, nullum invenitur indicium distinctionis realis, ac proinde debet dici dari identitas vera. *Probaturs ergo antecedens.* Repugnat passionem fieri in aliquo subjecto, quin actio ab agente promanet. Repugnat pariter actionem aliquam promanare ab agente creato, quin in aliquo subjecto recipiatur; cum agentia creata nihil agere valeant nisi ex et in subjecto. Ergo et actio est essentialiter inseparabilis a passione et passio ab actione.

485.—*Prob. 3.^a p.*—Distinctio rationis ratiocinatae tunc habetur, quando una et eadem res distinctis rationibus concipitur ob diversas functiones quas ipsa exercet. Sed hoc accidit in casu praesenti: nam una et eadem entitas ob diversos respectus transcendentales, quos in se dicit et erga agens et erga passum, concipitur a nobis tum ut actus ultimus agentis seu sub ratione actionis, tum ut specialis dependentia passi ab agente in suo fieri seu sub ratione passionis.

Ergo actio et passio inter se distinguuntur distinctione rationis ratiocinatae.

486.—Atque hæc est doctrina tum ab Aristotele, tum a Sancto Thoma expresse tradita. Primus enim lib. 3. *Physic.* cap. 3, dicit actionem esse *actum hujus ab hoc*, passionem vero *actum hujus in hoc*: ubi manifeste docet actionem et passionem esse eandem actualitatem duos oppositos respectus in se includentem. Secundus autem sic scribit: «Actio et passio conveniunt in substantia motus (*i. e. in entitate*), et differunt solum secundum diversas habitudines» (1).

Solvitur quædam difficultas.

487.—Actio et passio habent diversas definitiones: ergo realiter distinguuntur.

Resp.—*Conc. ant. et neg. cons.*—Ex diversitate definitionum non aliud inferri potest quam diversitas conceptuum formalium, sub quibus res menti nostræ repræsentantur. Jam vero diversitas conceptuum formalium haberi potest, tum circa ea, quæ a parte rei distinguuntur, tum etiam circa ea quæ in re eadem sunt sed ob diversas eorum functiones fundamentum præbent intellectui, ut ea sub diversis conceptibus apprehendat.

PROPOSITIO SECUNDA.

Passio principaliter dividitur: 1.º in substantialem et accidentalem; 2.º in successivam et instantaneam.

488.—*Demonst. a)*—Forma in materia per actionem producta aut est substantialis seu constitutiva substantiæ, aut accidentalis seu adveniens subjecto jam constituto. Si *primum*; susceptio talis formæ in materia, seu passio erit substantialis: si *secundum*; sus-

(1) S. Thom. *Summ. Theol.*, 1. p. q. 45, art. 2. ad 2.^{um}

ceptio erit accidentalis. *b)* Deinde, per passionem seu receptionem aliquam, aut simul recipitur tota forma, quæ adquiri potest; vel paulatim et per partes. Si *primum*; passio erit *instantanea*: si secundum; erit *successiva*. Ergo...

CAPUT III.

De causis materiali et formali.

489.—Utramque hanc causam simul considerandam assumpsimus propter intimam earum conjunctionem; quæ quidem est tanta, ut unam sine altera cogitare minime valeamus. Tribus autem articulis rem totam ad illas pertinentem complectemur; quorum primus notiones et diversas harum causarum species dabit, secundus vero earum existentiam ostendet, tertius denique naturam causalitatis earundem declarabit.

ARTICULUS PRIMUS.

De notione, diversisque speciebus causæ tum materialis tum formalis.

490.—Causa materialis seu materia definiri potest: *Subjectum constans omnium mutationum, quas in hoc mundo sensibili accidere videmus.* Causa vero formalis seu forma est *quælibet ex his perfectionibus, quas materia per diversas mutationes in se suscipit, quæque illam certo quodam modo determinant ac complent.* Materia igitur ac forma duo quædam elementa sunt, quæ in rebus sensibilibus sese mutuo exigunt ac complent: omnes enim materia constant et aliqua forma, quæ simul conjunctæ aliquam determinatam entium classem constituunt. Porro materia elementum est commune et quasi genericum, forma vero proprium et quasi specificum ac differentiale; ut in *duabus statuis marmo-*

reis ex. gr. videre est, quæ in materia quidem inter se conveniunt, in forma vero seu complexu delineamentorum ab invicem discriminantur.

491.—Hinc materia in rebus sensibilibus elementum exhibet determinabile, potentiale et perfectibile; forma autem elementum determinans, actuans et perficiens. Genus enim, ut constituat aliquam speciem entium determinatam, indiget determinari, actuari et compleri per aliquam differentiam.

492.—Propter hanc causam dixerunt antiqui materiam esse *subjectum formarum*, formam autem *principium operationum entis*. Materia enim *recipit* in se formas, quibus actuatur; forma vero, actuando materiam, facit ut ens exinde resultans sit *hujus* determinatæ speciei et non alterius, ac proinde habeat *has* virtutes operativas et non alias. Idcirco etiam dixerunt iidem antiqui materiam esse *puram potentiam*, formam vero *purum actum*. Quibus verbis minime significare voluerunt materiam esse quid mere *ideale* ac realitate physica destitutum, formamve omni prorsus potentialitate carere, tamquam si Deus foret: sed materiam puram potentiam vocarunt, quia in suo conceptu metaphysico nullam determinatam entium classem designat, sed puram capacitatem dicit constituendi cum formis illam actuantibus aliquam entium sensibilibus classem; formam vero purum actum nuncuparunt, quia metaphysice spectata non dicit nisi actuationem materiæ et complementum quoddam suæ potentialitatis.

493.—Hinc optime intelligitur celebre illud Aristotelis effatum: *Materia neque est quid, neque quantum, neque quale, neque aliud quidquam eorum quibus ens determinatur* (1). Nam quidditas, qualitas, quantitas et aliæ quælibet entium sensibilibus perfectionis sunt *determinationes quædam* materia et *actuationes* illius, et sub conceptu generali *formæ* continentur; ac proinde materia in se non remanet nisi pura potentia et merum subjectum formarum.

494.—Materia dividitur in *primam* et *secundam*. Prima est *illa, quæ in unoquoque ente sensibili nullam*

(1) Aristot. *Metaph.* VI (al VII), cap. 3.

aliam ante se habet, quæque proinde ad prima et essentialia illius constitutiva pertinet et primum subjectum formarum dici debet. Secunda est substantia omnis sensibilis in suo esse jam constituta et accidentalium determinationum capax: ratione enim hujus capacitatis receptivæ substantia omnis sensibilis est verum subjectum formarum accidentalium, unde et materia accidentalis dici solet.

495.—Materia relate ad compositum ex conjunctione illius cum forma resultans dicitur esse *illud ex quo res fit*; relate ad formam ipsam vocatur *illud, ex cujus potentia educitur forma et in quo forma existit*; denique relate ad agens in ea aliquid operans appellatur *illud circa quod actio agentis versatur*. Hinc intelligitur quare antiqui materiam dividebant in *materiam ex qua*, *materiam in qua* et *materiam circa quam*: per has enim particulas *ex qua*, *in qua* et *circa quam* relationes materiæ ad tres terminos prædictos exprimere volebant.

496.—Materia prima dicitur *ingenerabilis* et *incorruptibilis*; quia neque ex aliqua re præjacente producit, neque per destructionem compositi anihillatur, sed in aliud compositum transit. Sic, quando in homine producit *caro*, nulla materia nova incipit in mundo existere; sed materia, quæ erat in alimentis sub forma alimentorum propria, incipit esse sub forma hominis et cum ea novum compositum constituit. Pariter, quando caro hominis desinit esse, nihil materiæ illius perit; sed totum transit ad aliud compositum recipiendo in se aliam novam formam. Hinc materia prima non aliter incipit esse quam per creationem, nec aliter perire valet quam per anihilationem; quia terminus *a quo* suæ productionis et terminus *ad quem* suæ destructionis est *purum nihilum*.

497.—E contra forma omnis materialis, seu a materia dependens tum in sua productione tum in sua

conservatione, generabilis est et corruptibilis; quia et producitur ex prejacente materia ad productionem compositi per ipsam simul cum materia illa efformati, et desinit esse ad adventum novæ formæ cum ea pugnantis, quæ incipit simul cum materia illius novum compositum efformare. Sic, cum incipit esse forma *aquæ* ex. gr.; forma hæc fit quidem *ex nihilo sui*, quia antea non erat, sed non *ex nihilo subjecti*; quia materia, in qua debet recipi ut in ea existat et cum ea aquam constituat, jam debebat antea existere sub formis illorum corporum, ex quorum combinatione aqua generatur. Pariter, cum desinit esse forma aquæ; eatenus destruitur, quatenus materia sub ea existens, propter dispositiones quasdam in aquam introductas, exigit informari ab aliis formis, quæ simul cum illa in eodem subjecto esse nequeunt.

498. — Circa hoc autem notandum, formam materialem non proprie produci aut destrui per actionem agentium naturalium, sed *comproduci* aut *condestrui* ad productionem vel destructionem compositi. Ratio est, quia actio agentis directe fertur ad productionem cujusdam compositi: unde hujus compositi formam eatenus ad existentiam adducit, quatenus est necessaria ad illius effectum; et formam contrariam eatenus a materia expellit, quatenus forma hæc coexistere nequit in eodem subjecto cum altera adveniente. Hinc, quia per eandem actionem qua generatur unum compositum ejusque forma, corrumpi aliud solet cum propria illius forma; idcirco antiqui sapientissime dicebant *generationem unius esse corruptionem alterius et vice versa*. Cujus quidem effati veritas in eo fundatur, quod materia non potest naturaliter stare sine aliqua forma et aliunde duæ formæ oppositæ nequeunt simul eandem materiam informare; unde fit; ut generatio unius formæ sit destructio alterius cum ea pugnantis et e converso.

499. — Forma duplicis generis est, *substantialis* nempe et *accidentalis*. Substantialis correspondet materiæ

primæ; estque proinde, non secus ac illa, unum ex elementis intrinsece constitutivis *compositi substantialis*. Accidentaliter autem respondet materiæ secundæ seu accidentali; estque, eodem modo ac illa, unum ex elementis constitutivis *compositi accidentalis*. Forma substantialis iterum alia est *materialis*, alia vero *immaterialis* seu *spiritualis*. Materialis dicitur *quæ dependet a materia tum in operando tum etiam consequenter in existendo*, ut ex. gr. *anima belluina*. Immaterialis e contra seu spiritualis *ex* vocatur, *quæ a materia per eam informata independens est tam in operando quam consequenter in existendo*, cujus quidem exemplum aliud non habemus quam *animam humanam*.

500.—Cum forma aliqua substantialis primi generis produci-
tur, dicitur *generari* atque *educi e potentia materiæ*: *generari* quidem, quia non ex nihilo subjecti sed ex præjacente materia efficitur, ut supra notatum fuit; *educi* autem *e potentia materiæ*, quia ad ejus productionem requiritur ut materia sit proxime disposita ad illam recipiendam et in suo esse sustentandam. Cum forma vero substantialis secundi generis fit, dicitur *creari ex nihilo* et *non educi e potentia materiæ*: *creari ex nihilo*, quia ex nulla præjacente materia fit, cum non dependeat a materia in existendo; *non educi e potentia materiæ*, quia hæc, quamvis debeat esse proxime disposita ad illam recipiendam ut connaturaliter produci queat; non tamen habet vim eam in suo esse sustentandi, sed ipsa in eo per se ipsam sustentari debet, cum sit spiritualis. Utraque autem, tam materialis quam spiritualis, semper fieri debet *ex nihilo sui*; quia ante suam productionem nulla est quid reale et physicum sed aliquid tantum mere possibile.

501.—Forma quoque accidentaliter alia *materialis* alia *immaterialis* seu *spiritualis* est. Prima subjectum materiale informat, v. gr. *ceram*; secunda vero subjectum spirituale, v. gr. *intellectum humanum*. Utraque autem dependet a suo subjecto in existendo, et inde dicitur *produci e potentia subjecti*; quia, ut in substantia produci queat, debet hæc esse proxime disposita ad illam recipiendam et in se sustentandam. Non di-

cuntur autem eæ formæ proprie generari, quia hoc ad solas substantias pertinet; nec produci ex nihilo, quia in aliqua substantia jam existente fieri debent; sed produci *ex præsupposito subjecto*. Semper autem debent fieri *ex nihilo sui*; quia ante earum effectiōem nihil sunt physicum sed tantum quid mere possibile, ut de formis substantialibus diximus.

502.—Forma relate ad illius causam efficientem dicitur *naturalis* vel *artificialis*. Naturalis est *illa, quæ originem ducit ab agentibus naturalibus vel ab ipso Auctore naturæ*, ut ex. gr. *animæ* belluarum et hominum. Secunda vero est *ea, quæ arti humanæ debetur*, ut *figura* alicujus mensæ, *effigies* ab aliquo artifice picta aut sculpta, etc.

ARTICULUS II.

De existentia prædictarum causarum.

503.—Existentia materiæ tam primæ quam secundæ, prout etiam formæ sive substantialis sive accidentalis, præscindendo a modo quo hæc omnia sunt intelligenda, sicut in Ontologia præscindi debet, res est manifestissima; et ab ipsis auctoribus, qui acerrime adversus materiam primam Scholasticorum in Cosmologia decertant, libentissime admittitur (1). Breviter ergo eam ostendemus sequente propositione.

PROPOSITIO

Existunt in mundo materia prima et forma substantialis, tum etiam materia secunda et forma accidentalis.

504.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o In omnibus viventibus videre est duplex elementum substantiale; quorum unum est materia, alterum vero forma. Omnia enim intrin-

(1) Tongiorgi, *Ontologia*, nn. 309-310. Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 13, sect. 1, n. 4.

sece materia constituuntur, quæ post resolutionem illorum sub aliis formis existere pergit, et quodam principio vitali, quod cum illis advenit atque etiam disparet, sicut accidere debet formis substantialibus. 2.^o In entibus etiam inorganicis hoc ipsum cernimus: nam in eis non modo dantur mutationes quædam accidentales, per quas substantia aliqua materialis sub diversis accidentibus successive constituitur, ut cum *aqua* ex. gr. ex *frigida* fit *calida* et vice versa; sed etiam mutationes substantiales, in quibus materia unius compositi substantialis, hoc destructo, in aliud transit; ut cum ex *aqua* fit *oxygenium* et vice versa. Ergo...

505.—*Prob. 2.^a p.*—Omnis substantia materialis est perpetuo subjecta diversis mutationibus accidentalibus, ut perenni et constanti experientia comprobatur. Nam eadem *aqua* ex. gr. ex *frigida* fit *calida* et ex *calida* *frigida*, permanendo nunc sub quodam gradu caloris, nunc vero sub alio inferiori. Et eodem modo discurrere possumus circa omnes substantias sensibiles, quæ diversa accidentia suscipere possunt, sive humana industria in eis producta, sive per agentia naturalia in eis causata. Ergo datur in eis compositio ex subjecto et accidente; seu, quod idem est, dantur in mundo materia secunda et forma accidentalis.

ARTICULUS III.

De natura causalitatis causarum memoratarum.

Quæ ad naturam causalitatis causarum materialis et formalis spectant, sequentibus propositionibus dicemus.

PROPOSITIO PRIMA.

*Tum causa materialis tum etiam formalis veram
causalitatem exercent.*

506.—*Demonst.*—1.^o Tum causa materialis tum formalis sunt veræ causæ, siquidem vere constituunt compositum ex illarum copulatione resultans. Ergo veram causalitatem exercent; nam compositum non aliter constitui ab illis potest, quam suum influxum ad illius constitutionem unaquaque suo modo præbente; qui quidem influxus vocatur *causalitas*. 2.^o Causa materialis influit in constitutionem compositi, offerendo causæ efficienti suam capacitatem receptivam formæ per illam producendæ et recipiendo in se formam productam. Forma vero influit in eandem compositionem, actuando materiam et sic cum illa constituendo unum quoddam ens, sive *substantiale* et *per se* sive *accidentale* et *per accidens*, secundum quod forma fuerit substantialis vel accidentalis. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

*Causalitas materiæ et formæ non consistit
in illarum coexistentia, nec in præsentia ipsarum locali,
nec in actione ulla per eas exercita,
sed in sola unione.*

507.—*Prob. 1.^a p.*—Tum materia tum forma cujuslibet compositi coexistere possunt absque constitutione illius compositi: siquidem Deus efficere potuisset ut ambæ quidem simul existerent sed in diversis compositis. Atqui si causalitas illarum consisteret in ipsarum coexistentia, non possent simul coexistere nisi constituendo unum idemque compositum. Ergo...

508.—*Prob. 2.^a p.*—Præsentia localis materiæ et formæ requiritur quidem ad constitutionem compositi, sicut etiam illarum coexistentia: at vero in ea consistere nequit causalitas prædicta. Nam præsentia localis duarum rerum ex se non dicit conjunctionem ipsarum in unitatem ejusdem entis sed solam contiguitatem. Unde quamvis Deus intime præsens sit omnibus rebus creatis, non tamen constituit cum eis unum idemque ens; sed Deus et res creatæ sunt entia totaliter diversa. Et idem dici posset de angelo vel dæmone, qui in corpus hominis intraret: nam per solam præsentiam non constitueret unum ens cum illa materia. Atqui per causalitatem materiæ et formæ debet formaliter constitui unum ens, sive substantiale, sive accidentale, pro diversitate ipsarum. Ergo...

Hinc claret quam inepte discurrunt illi philosophi, qui ad explicandam unionem substantialem animæ humanæ dicunt eam consistere in eo quod anima pervadat totum corpus illudque penetret. Hoc enim totum efficere potest quilibet angelus, sive bonus sive malus, quin tamen substantialiter unitus existat.

509.—*Prob. 3.^a p.—1.^o* Unaquæque causa habet suam causalitatem propriam. Atqui constituere compositum per veram actionem est proprium causæ efficientis, et proinde hæc est propria ipsius causalitas. Ergo causalitas materiæ et formæ in vera actione consistere nequit. 2.^o Nec in formæ nec in materiæ conceptibus objectivis invenitur ratio formalis propriæ actionis. Nam materia solum dicit aptitudinem ad recipiendam in se formam, forma vero aptitudinem ad complendam capacitatem materiæ receptivam. Ergo... «Materia, inquit D. Thomas, coadjuvat ad generationem, non agendo, sed in quantum est habilis ad recipiendum talem actionem, quæ etiam

habilitas *appetitus materiæ* dicitur et *inchoatio formæ* (In lib. 2. Sent., dist. 18, q. 1, a. 2). 3.^o Si causalitas materiæ et formæ consisteret in vera actione; materia et forma non constituerent unum ens, sed essent duo entia completa et ab invicem independentia. Nam ut materia ageret in formam et forma in materiam, deberent prius in se subsistere; cum *actiones suppositorum sint*, ut ait axioma (1). Atqui materia et forma non sunt duo entia per se subsistentia; sed unum tantum ens constituunt, sive substantiale sive accidentale. Ergo...

510.—*Prob. 4.^a p.*—1.^o Id constat ex præcedentibus. Nam rejectis omnibus rebus, in quibus reponi posset causalitas prædicta, nihil aliud restat in quo reponi queat nisi unio. Ergo... 2.^o Posita unionie materiæ ad formam et formæ ad materiam, jam habetur quantum requiritur ad existentiam realis compositi: in composito enim nihil aliud est quam unio extremorum et extrema ipsa. Ergo in hac sola unionie reponenda est causalitas prædicta.

Solvitur quædam difficultas.

511.—Materia dicitur *sustentare* formam et forma *actuare* materiam. Sed sustentare et actuare sunt

(1) Non est autem negandum materiam secundam seu subjectum aliquam speciem activitatis exercere in suam formam accidentalem. Nam subjectum, ut optime ait D. Thomas (1. p. q. 77, art. 6. ad 2.^{um}) «*est causa quodammodo activa proprii accidentis*». Ast quatenus agit et emanatione quadam illud producit, non est causa materialis, sed efficiens. Nam causa materialis, quatenus talis, simpliciter recipit et perficitur; causa vero agens, ut agens est, simpliciter agit et perficit. Et hæc est essentialis differentia inter causam materialem et efficientem; quæ maxime notanda est ad solvenda argumenta Pantheistarum.

duæ actiones. Ergo in his actionibus dicenda est consistere causalitas materiæ et formæ.

Resp.—*Trans. maj., minorem distingo.*—Sustentare et actuare in re præsentē sunt duæ actiones *grammaticales*, Conc.; *veræ et physicæ*, Neg. Sustentare et actuare, in quæstione de qua nunc agimus, indicant quidem actiones grammaticaliter loquendo, sed non veras et físicas. Nam materia eatenus sustentat formam, quatenus aptam se præbet ad illam in se recipiendam et hac sua capacitate receptiva reddit possibilem ejus existentiam; cum forma quæ sustentatur a materia, naturaliter non possit existere nisi in illa. Forma vero eatenus actuat materiam, quatenus sua inhæsiōe ad illam complet ejus capacitatem receptivam et ita perfectionem suam propriam ei communicat.

Transmissi majorem; quia materia non omnem formam sustentat, sed illam tantummodo quæ ab ea dependet in sua generatione et conservatione. Unde formam substantialem spiritualem, qualis est anima humana, minime sustentat in suo esse; sed simpliciter eam in se recipit per unionem ad ipsam.

PROPOSITIO TERTIA.

Unio, in qua consistit causalitas materiæ et formæ, est modus quidam physicus ex natura rei distinctus non solum a materia sed etiam a forma, quando hæc non est in se aliquis modus.

512.—*Prob.*—Non solum materia quævis, sed etiam forma omnis distincta ab accidentibus relativis seu modis, ex se solum dicunt *aptitudinem* ad se uniendum et constituendum compositum. Ergo ut *de facto* sint unitæ et compositum efforment, requiritur aliqua res ab illis modaliter distincta, qua ad efformationem

alicujus particularis compositi determinantur. Hæc autem res est formalis unio, qua ad invicem uniuntur, quæque est formale exercitium se habendi actualiter unitas et constituentes de facto compositum illud. Ergo...

Dixi *quando forma non est in se aliquis modus*: quia forma, quæ est modalis quædam entitas, se ipsa immediate unitur subjecto; cum sit *ultima* illius determinatio et nonnisi in illo existere queat.

Solvuntur difficultates.

513.—Obj. I. Si unio esset modus physicus ex natura rei distinctus a materia et forma, hæ non sese unirent immediate. Atqui hoc est falsum. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Non se unirent immediate *ut quo*, Conc.; *ut quod*, Neg. *Et contradist. min. nego cons.* Inter materiam et formam nullus alius terminus unitus remanet: proinde materia et forma immediate se uniunt ad invicem in ratione terminorum uniendorum, seu *ut id quod unitur*. Sed, præter hos terminos, debet dari in composito aliquid, *quo* actualiter uniantur, nempe unio; et hæc proinde debet mediare inter illos, *ut id quo uniuntur*, et ut exercitium conjunctionis ipsorum.

Inst.—Etiam unio debet uniri. Ergo indigebit alia unione modaliter a se distincta.

Resp.—*Dist. ant.*—Debet uniri *ut quo*, Conc.: *ut quod*, Neg. Hinc *neg. cons.* Quod unitur *ut quo*, se ipso determinatur ad unionem actualem; quia est actuale exercitium conjunctionis extremorum. Ergo non indiget alia re a se distincta, ut ad actuale exercitium unionis determinetur. Non autem idem evenit, quando agitur de terminis uniendis; qui quidem solum dicunt ex se unionem aptitudinalem.

514.—Obj. II. Si unio prædicta foret modus physicus, unio inter animam humanam et ejus corpus non esset substantialis sed accidentalis; quia modus omnis est accidens quoddam. Atqui hoc est falsum. Ergo...

Resp.—*Neg. maj. cum ejus probatione.*—Nam unio, qua unitur materia prima formæ substantiali, licet sit modus quidam, ad genus tamen substantiæ reduci debet: quia non est modus quicumque, sed *substantialis*, utpote ad constitutionem substantiæ compositæ *essentialiter* requisitus. Proinde in sententia nostra remanet prorsus substantialis unio animæ humanæ cum suo corpore et minime dicenda est accidentalis.

CAPUT IV.

De causa finali.

515. Ut eundem ordinem teneamus, quem in præcedente capite sequuti sumus; in primis notionem causæ finalis ac præcipuas ejus species exponemus, deinde existentiam causarum finalium demonstrabimus, denique de causalitate finis breviter aliquid dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De finis notione ac de præcipuis ejus speciebus.

516.—Finis dicitur *illud, propter quod causa efficiens operatur*. Sic, *sapientia* ex. gr. est finis respectu studii philosophici; *sanctitas* respectu operationis virtuosæ, etc.; quia hæ actiones ad ea objecta tamquam ad proprios terminos natura sua ordinantur et propter illa ab hominibus elici solent. Actus, quo volumus finem, *intentio*; res quas ad illum consequendum amplectimur, *media*; actus, quo media seligimus, *electio*,

rationes denique quibus impellimur sive ad intendendum finem sive ad media eligenda, *motiva* nuncupantur.

517.—Finis propter se ipsum amatur: unde bonitate aliqua instructum, sive vera, sive apparente, monstrari voluntati debet, ut illum appetere queat; voluntas enim non nisi bonum appetere valet. Media e contra amantur propter finem: unde non alia bonitate indigent ut amari possint, quam bonitate ipsius finis. Imo, *qualenus media*, non alia bonitate movere ad sui ipsorum amorem possunt, quam bonitate participata finis: si enim sua propria moverent, jam amarentur propter se et ita sub hoc aspectu haberent rationem finis.

518.—Finis primo dividitur in *finem operis* et *finem operantis*. Finis operis, qui etiam *internus* dici solet, est *illud bonum, ad quod opus natura sua tendit*: finis vero operantis, qui *externus* quoque nuncupatur, est *bonum illud ad quod operans dirigit suum opus*. Sic finis *mensæ* ex. gr. est sustentare res domesticas supra illam collocandas, finis vero artificis in confi-cienda mensa est lucrum per hanc suam actionem quæsitum vel aliquid aliud ab eo intentum. Aliquando operans nihil aliud sibi proponit in sua actione, quam bonum illud ad quod opus natura sua ordinatur; et tunc finis operantis cum fine operis identificatur. Sæpe tamen operans ordinat opus cum fine suo proprio et intrinseco ad finem alium ab ipso intentum, ut cum scholasticus studet ad acquirendas divitias: quo in casu finis operis est distinctus a fine operantis et habet rationem *medii* relate ad illum.

519.—Secundo finis dividitur in *objectivum* et *subjectivum*. Objectivus, qui etiam vocatur *finis qui*, est *bonum illud, quod quis consequi vult*. Subjectivus vero, qui dicitur etiam *finis cui*, est subjectum *illud, cui bonum objectivum desideramus*. Sic bonum objectivum

a medico quæsitum in applicatione medicinæ est *salus*; subjectivum vero *persona illa*, cui per medicinam salutem procurat. Hi duo fines ordinarie solent constituere finem *totalem* operantis intelligentis; et quidem ita ut, quamvis ambo habeant respectu illius rationem *proprii finis*, tamen subjectivus *magis* ab illo ametur quam objectivus. Sic, quando *amico* v. gr. *salutem* exoptamus: utrumque hoc bonum quidem amamus, primum vero magis quam secundum. Non tamen hoc accidit, quando Deum volumus, *ut bonum nobis*; quia tunc nos ipsos, quibus bonum illud desideramus, in Deum tamquam nostrum ultimum finem *exercite* referimus, et ita *exercite* plus Deum quam nos ipsos amamus.

520.—Finis objectivus subdividitur in *objectivum simpliciter* et *formalem*. Dicitur objectivus simpliciter, *quando est aliquod bonum per quamdam operantis actionem obtinendum*: dicitur autem *formalis*, quando est ipsa actio per quam immediate et proxime finis simpliciter objectivus obtinendus est. Sic et Deus et visio beatifica, qua in cœlis possidendus est, sunt fines objectivi respectu nostri; siquidem utrumque objectum propter bonitatem suam intrinsecam appetimus; Deus autem est finis objectivus simpliciter, visio autem objectivus formalis. Hic etiam accidit, ut ambo fines, objectivus et formalis, simul sumpti constituent finem *totalem* operantis; quia hic ambo simul appetit et non potest unum appetere sine alio.

521.—Tandem finis alius est *proximus* et alius *remotus*. Proximus dicitur *ille, qui ante omnes alios obtinendus est ab operante aliquam seriem finium consequi volente*: remotus vero vocatur *is, qui post aliquem alium consequendus est*. Si finis remotus claudit finium consequendorum seriem ab operante intentam, vocatur *ultimus*; secus vero appellatur *intermedius*, quod quidem nomen omnibus intra proximum et ultimum contentis pariter applicatur. Denique finis ultimus potest esse talis respectu alicu-

jus seriei particularis ab operante intentæ, vel respectu omnium serierum possibilem. In primo casu dicitur *finis ultimus secundum quid* seu relate ad illam seriem determinatam: in secundo *finis ultimus simpliciter* seu *absolute*. Sic *beatitudo* est finis absolute ultimus; quia in omnibus seriebus finium semper operamur propter illam tamquam ultimum finem: sed finis ultimus secundum quid est omne illud bonum, quod in aliqua serie finium tamquam ultimo consequendum nobis proponimus.

Circa præsentem materiam sequentia axiomata notare oportet.

522.—1.^{um}—*Quod est primum in intentione, est ultimum in executione; et quod est primum in executione, est ultimum in intentione.*

Ratio est; quia in omni determinata serie finium unusquisque est medium respectu omnium posteriorum et finis respectu omnium præcedentium. Exinde autem fit, ut ordo intentionis sit omnino contrarius ordini executionis. Nam finem prius intendimus quam media; hæc autem prius ad praxim ducimus, quam finem per illa obtineamus. Sic qui sacerdos esse cupit et videt ad hoc esse necessarium studere in Seminario, et ad hoc emere libros et ire ad civitatem, ubi Seminarium invenitur; in ordine intentionis prius vult fieri sacerdos, deinde studere in Seminario, postea emere libros et accedere ad aulas Seminarii; in ordine autem executionis prius emit libros et accedit ad aulas Seminarii, deinde ibi acquirit scientiam requisitam ad sacerdotium et denique fit sacerdos.

523.—2.^{um}—*Omnis series finium ad invicem subordinatorum debet esse intra duos extremos.*

Ratio est illa ipsa, quam pro præcedente axioma dedimus. Quia enim in omni serie finium ad invicem subordinatorum singuli sunt fines respectu priorum et media respectu posteriorum, necessario unus in virtute alterius intendi debet atque etiam executioni mandari. Hinc autem fit, ut causalitas uniuscujusque

termini dependeat a causalitate præcedentis, et causalitas omnium a causalitate primi. Ergo in serie prædicta debent dari duo termini extremi; unus a quo incipiat intentio finium, et alter a quo initiumumat executio mediorum (1).

524.—3.^{um}—*Qui serio vult finem, serio etiam vult media ad illum consequendum necessaria: et e converso, qui non vult serio media sine quibus non potest obtineri aliquis finis, eo ipso huic fini valedicit.*

Ratio hujus effati est: quia voluntas non potest serio velle manifeste contradictoria; eo quod apertam impossibilitatem exhibent et ideo non habent rationem boni, ut serio appeti queant. Jam vero manifeste contradictorium est serio velle assequi finem absque voluntate seria mediorum, sine quibus assecutio remanet impossibilis.

ARTICULUS II.

De existentia causarum finalium.

525.—Anaxagoras, Empedocles, Democritus et Epicurus inter antiquos existentiam causarum finalium negarunt, dicentes omnia in mundo casu contingere et sine ullo fine præintento. Eandem doctrinam tenent nunc inter recentiores Materialistæ et Positivistæ, omnesque qui cum Darwino explicare volunt formationem omnium organismorum viventium per solum concursum fortuitum atomorum, seu minimarum particularum imateriæ.

526.—Hæc tamen doctrina, ut sapienter Suarezius animadvertit (2), tanta absurditate laborat, ut refutatione non egeat. Et certe, quatenus totum hunc rerum adspectabilium ordinem casu contigisse asserit et perpetuo conservari, non minora absurda profert, quam si diceret omnia horologia in mundo extantia

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 29, sect. 1. n. 25.

(2) Suarez, *Metaphys.*, disp. 23, sect. 10.

casu fortuito et sine ullius horologiarii intellectuali directione fuisse facta. Nos vero in hoc articulo non de hac finalitate universali, quæ in constante et perenni omnium rerum conspiratione ad finem totius universi reposita est, sed de particulari et singularum rerum propria agere intendimus.

PROPOSITIO.

Existunt in mundo veræ causæ finales.

527.—*Demonst.*—1.^o Homines in suis actionibus manifeste agunt propter finem: siquidem ante operationem aliquod bonum particulare apprehendunt; et intentione hujus boni interius concepta, media seligunt ad illud obtinendum. Ergo datur in suis actionibus vera et realis finalitas. 2.^o Id ipsum constat etiam de animalibus irrationalibus. Nam, quamvis ideis universalibus careant et proinde proportionem generalem mediorum ad fines minime cognoscant; sed tamen hanc proportionem in particulari et in concreto apprehendunt et inde boni alicujus apprehensi causalitate ad operandum moventur. Causalitas autem boni apprehensi est causalitas finalis. Ergo datur quoque in eis vera finis causalitas. 3.^o Id ipsum videre est in omnibus plantis. Nam, quamvis cognitione omni destitutæ sint atque idcirco boni apprehensi causalitate moveri nequeant; sed tamen ita operantur, quasi illius apprehensione moverentur: unde pondere ipso suæ naturæ media quærunt ad bonum ipsis proportionatum assequendum; et obstacula vitant, quibus ab hujus boni consecutione arceri possent. Ergo in ipsis etiam datur vera causalitas finis. Porro nonnisi absurdissime dici potest a Materialistis, Positivistis et Darwinianis operationes harum substantiarum casu fortuito accidere et sine ulla prævia inclinatione naturæ. Nam, hac inclina-

tione non extante, sive ea intrinseca sit, sive extrinseca, quod pro re præsente indifferens est, impossibiles prorsus sunt regularitas et uniformitas, quibus semper et infallibiliter ad sua propria bona omnes procedunt. Quæ enim casu fiunt, raro omnino et præter ordinem consuetum contingunt. 4.º Denique finalitas in ipsis substantiis inorganicis cernitur. Illa enim etiam pondere naturæ ad sua quæque bona inclinatur; ad conservationem scilicet sui esse, ad æquilibrium suarum partium, ad resistendum agentibus contrariis, etc., quasi boni sui cognitione ducuntur. Et sane absque hoc pondere naturæ et prævia determinatione ad unum minime efficere valerent corpora inorganica combinationes suas chimiques illa regularitate, uniformitate et constantia, quas Chيميци in illis observant; nam quæ casu fiunt, raro prorsus contingunt, ut nuper dicebamus. Ergo in ipsis etiam substantiis inorganicis vera causalitas finalis agnoscenda est.

528.—Optime ad rem D. Thomas: «Omnia agentia necesse est agere propter finem. Causarum enim ad invicem ordinatarum si prima subtrahatur, necesse est alias subtrahi. Prima autem inter omnes causas est causa finalis: Cujus ratio est, quia materia non consequitur formam, nisi secundum quod movetur ab agente: nihil enim reducit se de potentia in actum. Agens autem non movet nisi ex intentione finis: si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo quod determinatum effectum producat, necesse est quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis. Hæc autem determinatio sicut in rationali natura per rationalem fit appetitum, qui dicitur *voluntas*; ita in aliis fit per inclinationem naturalem, quæ dicitur *appetitus naturalis*» (1).

(1) S. Thom. *Summ. Teol.*, 1. 2. q. 1, art. 2.

Solvuntur difficultates.

529.—Obj. I. Innumeræ sunt res defectuosæ et multo plures quam imperfectione omni carentes. Ergo signum est omnes casu contingere; quia secus perfectio esset in pluribus, defectus autem in paucioribus.

Resp.—*Dist. ant.*—Innumeræ sunt res defectuosæ *quoad perfectiones accidentales*, *Trans.:* *quoad substantiales*, *Neg.* Certe in unaquaque specie innumeræ sunt res aliquo defectu accidentali affectæ, imo et multo plures quam omni prorsus defectu carentes. Sed perfectiones substantiales omnes generaliter servant, unde *monstra* in unaquaque specie rara sunt omnino. Hoc autem evidenter ostendit res non casu contingere, sed vera finalitate fieri: quia secus causæ efficientes eas producentes non solum in accidentalibus sed etiam in substantialibus ordinarie deficerent.

530.—Obj. II. Multa in rebus naturalibus inutilia prorsus inveniuntur. Atqui hoc non accideret, si causæ vera finalitate agerent. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Multa *per accidens* causata in rebus naturalibus inutilia inveniuntur, *Trans:* *per se* seu absque ullo obstaculo accidentali facta, *Neg.* *Et contrad. min., neg. cons.* Contra finalitatem propriam naturæ non est, quod aliquando *per accidens* propter aliqua obstacula cursum ejus ordinarium impediencia agens aberret a suo fine. Sed natura sibi relicta et nullo accidentali obstaculo impedita semper suum finem assequitur et nihil inutile producit. Unde illud effatum: *Natura nihil facit frustra*. Præterea, immerito omnino sæpe inutilia censentur, quæ vere inutilia non sunt, sed talia judicantur, quia eorum causæ finales ignorantur. Ad rem optime S. Augustinus: «Si quis in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi

multa instrumenta, quorum causas ignorat; et, si multum est insipiens, superflua putat. Jam vero si in fornacem incautus inciderit, aut ferramento acuto se vulneraverit; noxia existimat ibi esse multa; quorum usum quia novit artifex, insipientiam ejus irridet. Sic in hoc mundo quidam audent multa reprehendere, quorum causas non vident. Multa enim etsi domui nostræ non sunt necessaria, in eis tamen completur universitatis integritas» (1).

531. — Obj. III. Doctrina *adaptationis darwinianæ* ipsa sua simplicitate comendatur. In ea enim, remota omni finalitate a causis naturalibus, per solas leges motus mechanice formantur organa omnia animalium et plantarum, ex quibus necessario resultant functiones ab ipsis exercitæ. Ergo...

Resp. — *Neg. ant.* — Ad ejus probationem, *Distinguo*: Mechanice formantur etc. id est, *dicuntur formari*, Conc.: *formantur revera*, *Neg.* Asserit quidem Darwin cum omnibus Materialistis tam antiquis quam recentibus organismos formari ab atomis materiæ per solas leges generales motus localis. Sed hæc assertio pure gratuita est, imo et rationi manifeste contraria: ratio enim dicit *constructiones organicas atomorum* non magis efformari posse *per solas leges generales motus*, quam horologia aut domus; quæ quidem sunt *constructiones quædam* et sine finalitate constructoris alicujus formabuntur nunquam. Ludit Darwin nomine *selectionis naturalis*; quando, ad explicandos apparatus organicos animalium et plantarum, dicit *naturam seligere* semper aptiora in suis artefactis, ut novam eis in dies perfectionem addat. Tam enim *naturæ* quam *selectionis* nomina veram finalitatem in operante significant, quæ omnino tollitur a naturalista anglo per suum casualisticum systema.

(1) S. August. *Lib. 1. in Genes.* cont. Manichæos, cap. 16.

532.—Ob. IV. Inter omnes combinationes, quæ per concursum fortuitum atomorum efformari possunt, possibilis etiam est illa quæ hodie in hoc mundo cernitur. Ergo, supponendo atomos per totam æternitatem in spatio infinito volitasse, bene potuit resultare ordo præsens ex fortuito illarum concursu.

Resp.—*Trans. ant., neg. cons.*—Etiam si ab æterno in vicem concurrentes supponamus prædictas atomos, quod tamen gratis omnino facient Materialistæ; ex fortuito concursu non potuit resultare ordo hic constans et uniformis, quem in omnibus rebus materialibus cernimus. Quæ enim casu accidunt, ordinate non eveniunt: et multo minus hoc accidit, quando res ordinandæ sunt innumeræ et ordo ex illis resultans est universalis, constans et uniformis. Porro ad effectum hunc perfectissimum causa etiam perfectissima requiritur; concursus autem fortuitus atomorum, etiam si in infinitum infinities repetitus, semper est res maxime imperfecta.

533.—Obj. V. In doctrina causarum finalium res quævis esset causa sui ipsius, siquidem moveret causam efficientem ut illam produceret. Hoc autem prorsus rejici debet.

Resp.—*Dist. maj.*—In doctrina prædicta res quævis, *quatenus idealiter concepta*, esset causa sui ipsius, seu *sui esse physici*, Conc.: *quatenus physice existens extra intellectum*, Neg. Finis non movet nisi ut cognitus, seu ut existens in aliquo intellectu. Jam vero ut existens in intellectu bene movere potest causam efficientem, ut illum ponat per suam actionem physicam extra intellectum et reddat eum physice existentem. Hoc enim fieri quotidie in mundo videmus: nam architectus v. gr. efficit domum prius idealiter conceptam. Porro quando agitur de causis finem cognoscentibus, tunc finis movet ut ab ipsis cognitus;

quando vero causæ efficientes cognitione carent; tunc eas movet, prout relucens in intellectu divino (1).

ARTICULUS III.

De causalitate finali.

Circa causalitatem finalem tria a nobis investiganda sunt: *utrum nempe causa finalis sit vera et proprie dicta causa, in quo consistat ejus causalitas, quænam sint conditiones ad illam exercendam.* Sint ergo sequentes propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Causa finalis est vera et proprie dicta causa.

534.—*Demonst.*—Finis verum influxum exercet in productione rerum. Atqui causa finalis non est distincta a fine, sed e contra finis ob hunc suum influxum dicitur *causa*. Ergo... *Prob. maj.* Ad hoc ut causa efficiens producat aliquem effectum determinatum, indiget prius moveri a fine; cum ipsa de se indifferens sit ad producendum unum vel alterum ex his, qui in ejus virtute continentur. Ergo influxus causæ finalis est necessarius ad productionem rerum, ac proinde finis veram causalitatem exercet. Optime ad rem D. Thomas: «Agens non movet nisi ex intentione finis: si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo quod determinatum effectum producat, necesse est quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis» (2).

(1) Circa causas finales consulatur Suarez, *Metaphys.* disp. 23, sect. 10; et P. Pesch. *Inst. Philos. nat.* lib. 1, disp. 2, sect. 2.

(2) S. Thom. *Summ. Theol.*, 1. 2. q. 1, art. 2.

Solvuntur difficultates.

535.—Obj. I. Finis non potest determinare causas efficientes cognitione destitutas; siquidem ante actionem causæ efficientis non existit in se, et ante actionem causæ efficientis cognitione destitutæ non potest in hac causa existere per modum objecti cogniti, quod illam ad agendum impellere queat. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.—Ad probat., concesso antecedente, nego consequentiam.* Ante actionem causæ efficientis cognitione destitutæ est finis per modum objecti cogniti in prima causa, quæ omnes alias causas movet ad causandum: ac proinde finis vere movet et determinat influxu suo ipsas causas efficientes cognitione destitutas. Ad rem D. Thomas: «Manifestum est, quod particulares causæ moventur a causa universali: sicut cum rector civitatis, qui intendit bonum commune, movet suo imperio omnia particularia officia civitatis. Et ideo necesse est, quod omnia, quæ carent ratione, moveantur in fines particulares ab aliqua voluntate rationali, quæ se extendit in bonum universale, scilicet a voluntate divina» (1).

536.—Obj. II. Non apparet quomodo finis possit determinare causas efficientes cognitione destitutas ad suos fines particulares, quatenus existit in intellectu divino. Nam Deus non imprimit his causis virtutem aliquam cognoscitivam, qua cognoscant hos fines et per quam ad illos quærendos determinentur. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.—Ad probat., concesso antecedente, nego consequentiam.* Deus causis efficientibus cognitione privatis non imprimit quidem virtutem cognoscitivam; sed hæc minime necessaria est, ut vere ab illo ad suos particulares fines moveantur. Virtus

(1) S. Thom., *loc. cit.* ad 3.^{um}

enim cognoscitiva finis, ut optime notat S. Thomas (1), necessaria quidem est in agente illo quod se ipsum ad agendum determinat; minime vero requiritur in eo, qui non se ipsum determinat sed simpliciter ab alio determinatur. Nam «quando ab alio agitur in finem vel ducitur, puta cum agit ad imperium alterius, vel cum movetur altero impellente, non est necessarium quod cognoscat finem: et ita est in creaturis irrationalibus» (2).

537.—Obj. III. Non apparet quid imprimat Deus his creaturis, si eis non tribuit principium determinativum rationis.

Resp.—Neg. assert.—Imprimit enim eis inclinationem naturalem ad suum ipsarum bonum, quæ appellatur *appetitus naturalis*: et quatenus hunc appetitum eis confert, vere eas ad suos particulares fines determinat; appetitus enim hic, utpote naturalis, est *quid determinatum ad unum*.

PROPOSITIO SECUNDA.

Finis non causat nisi quatenus relucens in aliquo intellectu: unde causalitas ejus pure moralis dicenda est.

538.—Prob. 1.^a p.—Finis non agit nisi ut bonum et objectum voluntatis. Atqui bonum et objectum voluntatis non agunt in illam nisi quatenus per intellectum ei applicantur; voluntas enim in incognitum ferri nequit. Ergo...

539.—Prob. 2.^a p.—Intellectus in voluntatem non agit nisi moraliter, proponendo scilicet ei aliquod bonum particulare. Ipsa enim ex intrinseca natura sua est naturaliter determinata ad bonum universa-

(1) Id. *ibid.* ad 1.^{um}

(2) Id. *ibid.*

le; et proinde, ut ad bonum aliquod particulare se determinet, non indiget nisi ut hoc ei per rationem ostendatur. Ergo... (1)

Solvitur quædam difficultas.

540.—Finis hanc causalitatem moralem neque in creaturis irrationalibus exercere valet, cum ab illis minime cognoscatur; neque in Deo, cum Deus non agat propter finem. Ergo causalitas finis non potest consistere in motione morali prædicta.

Resp.—1.^o *Dist. 1.^{am} p. anteced.*—Finis causalitatem moralem in creaturis irrationalibus exercere *directe et immediate* nequit, Conc.: *indirecte et mediate*, Neg. Tota irrationalis natura, ut optime observat S. Thomas, comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agens principale. Unde, quatenus instrumentum Dei est, bene participare potest motionem moralem finium refulgentium in ideis divinis. Deus enim non operatur ad extra nisi quatenus instructus iis ideis exemplaribus objectorum, quæ voluntatem illius dirigunt.

Resp.—2.^o *Dist. 2.^{am} p. anteced.*—Finis causalitatem moralem *strictè dictam* in Deo exercere nequit, Conc.: *late dictam et strictæ æquivalentem*, Neg. Deus a nulla quidem extrinseca re movetur ad operandum sed ab intrinseca bonitate sua; ac proinde causalitatem moralem strictè dictam a nullo prorsus agente pati potest. At vero exemplares rerum faciendarum ideas in mente sua habet, quibus voluntas sua in illis faciendis dirigitur: unde per has ideas aliquam causalitatem late sumptam et strictæ æquivalentem res faciendæ in eo exercere valent.

(1) S. Thom. *Summ. Theol.*, 1. 2. q. 9, art. 6, ad 3.^{um}

PROPOSITIO TERTIA.

*Ut finis suam causalitatem exercere queat,
requiritur applicatio illius ad voluntatem per aliquem
actum intellectus.*

541.—*Demonst.*—Ut ex præcedente propositione patet, finis non causat nisi quatenus relucens in aliquo intellectu. Sed in intellectu non relucet nisi mediante aliquo actu ejusdem. Ergo...

CAPUT V.

De causa exemplari.

542.—Ut finem tractatui *de causis* imponamus, aliqua nobis de causa exemplari dicenda sunt. Aliqui hanc causam reducunt ad formalem, quia hæc ad illius exemplar efficitur: alii e contra eam ad efficientem referunt, quia causalitas ejus in dirigendo vim activam artificis tota sita est. Omnes tamen non tam ratione quam Stagiritæ auctoritate duci videntur; qui quatuor tantum species causarum statuit, efficientem scilicet, materialem, formalem et finalem.

543.—Relicta ergo auctoritate Aristotelis, causa exemplaris ut quinta causa a cæteris omnibus distincta statuenda videtur. Et quidem cum formali solam nominis communitatem servat: causa enim exemplaris non existit nisi in mente artificis, formalis vero non nisi in rebus extra intellectum. Deinde vere ac realiter ab efficiente differt, quatenus solum moraliter influit in effectum. Denique etiam a finali discriminatur; quia vere non movet ne moraliter

quidem causam efficientem ad agendum, sed simpliciter illam dirigit ei idealiter representando exemplar rei faciendæ.

544.—Hinc causa exemplaris definiri solet: *Forma in mente artificis concepta, ad cujus imitationem efficit artifex rem ab ipso libere electam*. Scilicet, ante quam artifex opus efficiat, quod per vires suas operativas libere exequi vult, necesse est ut mente illud concipiat: sine hac enim prævia operis faciendi conceptione artifex non potest in illud activitatem suam exercere. Et sane, ut optime observat Suarezius (1), agentia libera non habent virtutem suam circumscriptam intra unum tantum actionum genus, quemadmodum in agentibus necessariis usuvenit. Hinc, ut opera sua sapienter et artificiose efficiant, necessarium ipsis fit, ut hanc vim suam effectricem circumscribant ac limitent per ideas rerum faciendarum exemplares: atque idcirco hujusmodi ideæ influunt in opera ipsorum, ultimo disponendo voluntatem, ut hæc imperium suum in potentias effectrices libere exercere valeat.

545.—Hoc ipsum apertis verbis tradit S. Thomas, dicens agentia spiritualia et libera non posse agere propter formam operi ipsorum imprimendam, nisi habeant prius illam mente conceptam; quoniam non inest eis secundum esse naturale, quemadmodum contingit illis, qui operantur per naturam (2).

546.—Ut idea exemplaris causalitatem suam exercere queat in dirigendo artifice, necesse est ut hic aliquo modo eam cognoscat: secus enim non posset opus suum ad imitationem illius conficere. Sed, ut scite observat Suarez contra quosdam Philosophos (3), minime requiritur ut hoc fiat per cognitionem refle-

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 25, sect. 2, n. 1.

(2) S. Thomas, *Summ. Theolog.* 1. p. q. 15, art. 1.

(3) Suarez, *Metaphys.*, disp. 25, sect. 1.

xam. Nam, ut opus artificis imaginem referat formæ exemplaris, quæ in ejus mente refulget, sufficit reflexio illa *virtualis*, qua actus omnes intellectivi eo ipso menti præsentés fiunt, quo in illa existunt: sic enim artifex vere exemplar illud ideale adspicit et ad ejus imaginem opus suum exequitur. Illa autem altera contemplatio *formaliter reflexa* ideæ exemplaris non est necessaria, nisi ut attentius eam consideret ac perfectius ad ejusdem imitationem extrinsece operetur.

A. M. D. G.

INDEX.

	<i>Pags.</i>
Notiones præviae.	3

ONTOLOGIÆ PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.— <i>De entis natura.</i>	5
Articulus primus.— <i>De diversis vocabuli entis acceptio-</i> <i>nibus.</i>	5
Art. II.— <i>De essentia et existentia.</i>	7
§ I.— <i>Quid et quotuplex sit essentia.</i>	7
§ II.— <i>Quænam sint essentiarum proprietates.</i>	9
§ III.— <i>Quænam sit natura existentia.</i>	13
Art. III.— <i>De rerum possibilitate.</i>	24
§ I.— <i>Præmittuntur quædam notiones ad possibili-</i> <i>tatem rerum spectantes.</i>	24
§ II.— <i>Unde desumenda sit origo possibilitatis in-</i> <i>trinsecæ.</i>	27
§ III.— <i>De natura possibilium.</i>	36
CAP. II.— <i>De Ente relative considerato.</i>	41
Articulus primus.— <i>De Ente ontologico cum theologico</i> <i>comparato.</i>	41
Art. II.— <i>De comparatione Entis ontologici cum ente</i> <i>rationis.</i>	43
Art. III.— <i>De Ente ontologico ad categorias relato.</i> . . .	44
Art. IV.— <i>De Ente ontologico et Nihilo.</i>	49
CAP. III.— <i>De principiis generalissimis, quæ immediate</i> <i>ex conceptu entis derivantur.</i>	51
Articulus primus.— <i>De origine, mutisque relationibus</i> <i>principiorum identitatis et contradictionis.</i>	51
Art. II.— <i>De horum principiorum nobilitate atque ex-</i> <i>cellentia.</i>	52
CAP. IV.— <i>De transcendentalibus Entis proprietatibus.</i> .	56
Articulus primus.— <i>De unitate ac pluralitate.</i>	56
§ I.— <i>Præmittuntur quædam notiones generales ad</i> <i>unitatem et pluralitatem spectantes.</i>	57

	<i>Pags.</i>
§ II.—Quænam sit natura elementorum hæc duo objecta constituentium.	60
Art. II.—De diversis unitatis speciebus.	64
§ I.—Quid sit unitas individualis.	64
§ II.—Quænam sit natura unitatis formalis.	69
§ III.—Quænam sit natura unitatis universalis.	73
§ IV.—Quid dicendum de unitate collectiva.	81
Art. III.—De veritate et falsitate.	84
§ I.—Quænam sit natura veritatis transcendentalis.	84
§ II.—An et quomodo detur falsitas in rebus.	88
Art. IV.—De bono et malo.	90
§ I.—Quid et quotuplex sit bonum.	91
§ II.—Quænam sit mali natura.	96
CAP. V.—De ordine, pulchritudine et perfectione.	103
Articulus primus.—De ordine.	103
Art. II.—De pulchritudine.	107
Art. III.—De perfectione.	114

SECUNDA ONTOLOGIÆ PARS,

De diversis entium classibus.

CAPUT PRIMUM.—De finito et infinito.	119
Articulus primus.—De infinito absoluto.	120
Art. II.—De infinito relativo.	126
CAP. II.—De simplici et composito.	131
CAP. III.—De necessario et contingente.	133
CAP. IV.—De mutabili et immutabili.	135
CAP. V.—De entibus substantiali et accidentali.	137
Articulus primus.—De notionibus substantiæ et acci- dentis.	138
Art. II.—De existentia tum substantiarum tum acci- dentium; et de natura distinctionis, qua ab invicem differunt.	140
§ I.—An conceptus substantiæ sit realis et an in mundo plures dentur substantiæ.	140
§ II.—An admittenda sint accidentia aliqua a sub- stantia realiter distincta.	145

	<i>Pags.</i>
<i>Art. III.—De diversis speciebus substantiarum.</i> . . .	151
§ I.—Quænam sint præcipuæ substantiarum species.	151
§ II.—Quomodo differat natura a supposito. . . .	153
<i>Art. IV.—De quibusdam accidentium classibus.</i> . . .	159
§ I.—Quid et quotuplex sit qualitas.	159
§ II.—Quid et quotuplex sit relatio.	163

TERTIA ONTOLOGIÆ PARS,

De causis.


<i>CAPUT PRIMUM.—De causis in genere.</i>	169
<i>Articulus primus.—De notionibus tum principii, tum causæ.</i>	170
<i>Art. II.—De principiis ontologicis ex notione causæ immediate derivatis.</i>	172
<i>CAP. II.—De causa efficiente.</i>	177
<i>Articulus primus.—De notione causæ efficientis.</i> . . .	177
<i>Art. II.—De causa efficiente cum effectu comparata.</i> .	179
<i>Art. III.—De diversis causarum efficientium classibus.</i>	180
<i>Art. IV.—De causa prima efficiente.</i>	183
<i>Art. V.—De causa efficiente secunda.</i>	185
<i>Art. VI.—De requisitis ad agendum.</i>	192
<i>Art. VII.—De actione et passione.</i>	201
§ I.—Quid et quotuplex sit actio.	201
§ II.—Quid et quotuplex sit passio.	212
<i>CAP. III.—De causis materiali et formali.</i>	215
<i>Articulus primus.—De notione, diversisque speciebus causæ tum materialis tum formalis.</i> . . .	215
<i>Art. II.—De existentia harum causarum.</i>	220
<i>Art. III.—De natura causalitatis earundem.</i>	221
<i>CAP. IV.—De causa finali.</i>	227
<i>Articulus primus. De finis notione ac de præcipuis ejus speciebus.</i>	227
<i>Art. II.—De existentia causarum finalium.</i>	231
<i>Art. III.—De causalitate finali.</i>	237
<i>CAP. V.—De causa exemplari.</i>	241


SL 874

40237



10000072741





Méndive
LOGICA
ONTOLOGIA

SL

874